N. B. il Lincolniensi fu trasportato nella collez. degl' incunaboli

BREVISSIMAE IN ARISTOTELIS ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ LIBROS METHODI,

Totius negocij summam complectentes,

Vnà cum difficilium locorum Annotationibus Explicationibúsque,

ALFONSO BAROCCIO
FERRARIENSI AVCTORE.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
Ex Officina Dominici Guerrei, & Io. Baptistæ fratrum. M. D. LXIX.

CLARISSIMO VIRO,

IO. BAPTISTAE PIGNAE,

ILLVSTRISSIMI DVCIS FERRARIAE A SECRETIS MERITISSIMO,

Alfonsus Baroccius S. D.

QVOD *plerisque hominum actionibus consilijsq; usu uenit, praestantissime uir, ut uel fortuna, uel hominum uoluntate saepe alios fines, quàm ad quos primùm destinata fuerunt, sortiantur: id meis lucubrationibus quoque contigit. Redegeram enim Aristotelis libros omnes, tam ad rationalem, quàm ad naturalem Philosophiam pertinentes, quicunque in Scholis ad acuenda adolescentum ingenia quotidie euoluuntur, in breuissimas methodos, (quas tabulas appellant) ut essent mihi pro promptuario, ex quo sine labore statim promere possem Aristotelicos locos. Verum tantùm abest, ut mihi huiusmodi methodos, uel tabulas confecisse uidear, ut iam ab ijs omnibus, qui meas lectiones hactenus audierunt exscriptae, ad eorum memoriam pro enchiridio circumferantur. Neque hoc esset magnopere dolendum, nisi etiam ipsi assidua efflagitatione subinde à me in lucem mitti contenderent, pluris facientes emolumentum, quod rudioribus ingenijs ex illis euenturum uidetur, quam timorem censurae eruditorum. Cùm itaque discipulis summopere efflagitantibus, ut eas excudendas typographo traderem, diutius hoc negare non possem: omneq; officium quod ad aliorum commodum et utilitatem ualet anteponendum esse illi officio, quod cognitione et scientia continetur; officijsq; scientiae anteponenda esse officia iustitiae, ab ipso Cicerone didicessem: malui profectò hominum aleam subire, quam in mora esse, ne quis ex meis laboribus aliquid fructus capere cupiens, suo po*

tiatur uoto. Præsertim cùm mihi uerendum esset, ne me inuito, uel inscio ab ipsis discipulis adhuc rudes, et nondum satis elaborata, prælo committerentur. Quas igitur methodos in librum περὶ ἑρμηνείας confeceram, paulo diligentius recognitas, & nonnullis annotationibus illustratas, primum in lucem prodire uolui: deinde reliquas editurus, ubi meam operam Philosophiæ studiosis non ingratam esse intellexero. Cùm autem eas sine defensore hominum iudicijs committere minimè uellem, non sanè diu mecum dubitaui, cui nam potissimùm eas dicare deberem. Neque enim quisquam mihi magis idoneus uisus est, quàm is, cuius et ego diu auditor fui, & quo auctore mihi licuit inter cæteros Philosophiæ professores, meam operam studiosis nauando has ipsas lucubrationes conficere. Quapropter tuo nomini Io. Baptista doctissime eas dicandas censui: tum, ut meæ in te obseruantiæ testimonium haberes, tum quia summo ingenio tuo, humanitati singulari, quibus ad promerendam hominum gratiam, tam in infimi ordinis homines, quàm in eos etiam, qui cæteris aliqua uirtute antecellunt, quotidie uteris, literatorum uigiliæ meritò debentur. Accipe igitur uir humanissime has meorum laborum primitias, qua facie ipsi parentes liberorum laudabiles conatus, etiam uiribus nondum satis firmis, approbare solent. Cùm enim in omnis generis literarum concertationibus, omnium oculi in te unum semper conuersi sint, et à te tanquam arbitro honorario, de rebus controuersis sententiam non minore eloquentia, quàm dignitate ferendam attentissimè expectent: profectò, si tu hosce labores meos non improbaueris, non dubium est, quin & alios ad mea scripta libentius legenda sis excitaturus, meumq́ animum ita accensurus, ut ad reliquos edendos nullis uigilijs, nullisq́ laboribus sim parsurus. Quod quidem ob singularem probitatem tuam, & maximum erga Philosophiam studium, facturum te non dubito. Interim me tui tuarumq́ uirtutum obseruantissimum (ut semper fecisti) ama & foue. Vale.

ALFONSI BAROCCII FERRARIENSIS

IN ARISTOTELIS LIBROS ΠΕΡῚ ἙΡΜΗΝΕΊΑΣ, *PRAEFATIO.*

QVEMADMODVM eos, qui rem alioquin humilem, abiectam, & breuissimis limitibus comprehensam, sermonis ubertate, & splendore, non modo conspicuam reddere, at in omnium propè admirationem adducere, sed & in magnitudinem immensam augere, atque amplificare conantur; non minus ingenio ualere, quàm arte excellere putandum est: sic illi, opinor, qui rem amplam in tam angustos terminos redigunt, ut ferè uniuersum negotium simul oculis pateat, & tamen nihil omissum uideatur, quod ad rem pertineat: si non ingenio, & arte tantùm præstare uidentur, tamen non minorem, quàm illi laborem sustinere, arbitrandi sunt. Quod cùm ita sit, nemo iure nos reprehenderit, si hoc tempore, quo à publicis studijs uacamus, Aristotelis libros περὶ ἑρμηνείας, per nos iam in breuissimas methodos redactos, ut quicquid in illis continetur ferè eodem momento, quasi in eminentissimo loco positum, simul oculis cerni possit, in lucem prodire uoluerimus. Præsertim cùm nobis propositum fuerit, aliquid afferre, quod ad studiosorum commodum & utilitatem pertineret, id si nobis assequi licuerit. Quare ne aliquid deesse uideretur, quod ad integram earum rerum, quæ in illis libris continentur cognitionem spectare possit, ea noluimus prætermittere, quæ προλεγόμενα à græcis dicuntur, ut illis uia paretur ad capescendam totius negotii cognitionem. Semper enim mihi in memoria hæret illud Aristotelis: *Principium maius uirtute quam magnitudine esse. Ideo quod in* Primò de cælo tex. 33.
principio paruum est, id in fine ualde magnum emergit. Quam sententiam perpetua memoria dignam Poeta latinus, hunc locum imitatus, non minus doctè, quàm eleganter expressit, hoc unò uersiculo: *Dimidium facti qui bene cœpit habet.* Admonens nos, ut in nostrarum actionum primordiis diligentissimè caueamus, ne quis error contingat, cùm leuissimum quemq; errorem in principio commissum, antequam finis attingatur, in maximam ac propemodum immensam molem augeri posse uideamus. Ob id Philosophus scriptum reliquit, *Vno inconuenienti dato multa contingere.* Hæc uerò 1. Physic. tex. 10. & 22.
προλεγόμενα ea ratione principio huius operis ponenda putaui, quia uideo

omnes

omnes tam Græcos, quàm Arabes, & Latinos Aristotelis expositores, hunc morem obseruasse. qui fortassis ea ratione adducuntur hoc ut faciant, 1. Poster. tex. 1. quia uident Aristotelem in principio posteriorum dicere, quod *Omnis doctrina & omnis disciplina* διανοητικὴ *ex præexistente fit cognitione*, ac si monere uelit uir prudentissimus, nullius nos rei cognitionem consequi, nisi prælibata aliqua fuerint, & præcognita. Ita enim in scientiis rerum ordo postulat, quædam ut semper primo loco declarari oporteat. Neque uerò minimam ex his utilitatem studiosi consequuntur, cùm his omissis uix fieri possit, ut ea intelligamus, quæ ab autoribus traduntur. Quare nulli dubium esse potest, quin huiusmodi προλεγόμενα præmittenda sint. Quot autem numero esse debeant, non ita liquidò constat: quandoquidem in hoc, non modo expositores uariant, sed ipse quoque Philosophus, ut in multis locis patet, sibi interdum parum constare uidetur. Huius uerò diuersitatis causam esse arbitror, quòd eorum, quæ præmittuntur, quædam ut ad rem propositam maximè necessaria præcipuum sibi locum uendicant, apud omnes expositores, quædam uerò ut minus utilia, & ad uberiorem tantùm doctrinam adhibita, neque admodum necessaria, ab aliquibus sunt omissa. Attamen quantùm ad præsens negotium spectat, octo illa capita, tam à Simplicio & Ammonio in Prædicamentorum præfatione, quam ab Auerroe in prologo primi Physicorum examinata, hic quàm breuissimè fieri poterit explicare non pigebit, uidelicet *intentionem, utilitatem, ordinem, diuisionem, inscriptionem, an liber uerè sit ipsius Aristotelis, & ad quam Philosophiæ partem pertineat, & ad quodnam doctrinæ genus referatur*. Horum enim nonnulla tanti ponderis, atque adeo scitu necessaria sunt in cuiuslibet libri initio, ut, si quis ea ignoret, non possit exactè intelligere, quæ in libris traduntur. Quamobrem præclare illos antiquos interpretes fecisse, nemo dubitare debet, qui librum aliquem expositurí, hæc nequaquam silentio prætereíere. Maximum ergo inter omnia momentum affert ipsa intentio, quam qui ignorant, teste Alexandro, similes sunt iter facientibus, qui, nescientes quò tendant, in multos, & inextricabiles labyrinthos, ac mœandros perducuntur. Neque uerò intentionis cognitio ad quemuis librum intelligendum perfectè sufficiet, nisi legenti etiam exploratum fuerit, quid utilitatis inde percepturus sit. Quare haud dubiè in proposito, primùm libri intentio deinde eius utilitas erit inuestiganda: siquidem utilitatem sequitur admiratio, admirationem inquisitio, inquisitionem uerò cognitio. Attamen animus sciendi cupiditate ductus, hic non uidetur quiescere, quasi nihil ulterius quærat; quippe qui adhuc inuestigare pergit, nunquid sit uerè illius auctoris, cui à plerisque attribuitur, liber qui proponitur. Necnon de ordine solicitus est, & inscriptionis causam inquirit. Nam hæc, licet non semper intentionem aperiat, sed ut plurimum, tamen maximè utilis esse uidetur. Sic reliqua paulo ante à me commemorata diligenter exquirit.

Vt igitur ad rem iam deueniam, ab intentione exordientes inuestigabimus,

bimus, quæ nam ſit Ariſtotelis in his libris περὶ ἑρμηνείας intentio: & primùm quid ab aliis circa eius inueſtigationem dictum ſit, deinde quid & uos ſentiamus, breuibus explicabimus.

INTENTIO.

Sueſſanus, & nonnulli ex recentioribus eum ſe ſequuti, locum Boetii uidentes, quem fortaſſis intuiti ſunt, putant eum ſenſiſſe, quod ne ſomniauit quidem; huius uidelicet operis ſubiectum, materiam, atque intentionem eſſe interpretationem, quæ (ut addunt aliqui) ſub ſe complectitur, non tantùm enunciationem, ſed alias quoque orationis partes, & nomina etiam ac uerba. Quod quantùm ab huius diligentiſſimi Ariſtotelis expoſitoris ſententia alienum ſit, iis facilè patebit, qui eius commentarios non oſcitanter lectos, paulo altius ſecum repetent. Siquidem uidebunt eum tam in prima, quàm in ſecunda eius editione apertiſſimè dicere, huius libri intentionem eſſe agere de enunciatiua ſimplici oratione, & de eius elementis, nomine ſcilicet, atque uerbo. Hi tamen anſam ſui erroris arripuerunt ex uerbis Boetii, quæ in ſecunda eius editione ſic ſe habent. *Quoniam non de oratione ſola, ſed etiam de nomine & uerbo, nec uerò de ſola loquutione, ſed etiam de ſignificatiua loquutione, quæ eſt interpretatio, in hoc libro ab Ariſtotele pertractatur, Idcirco quoniam uerbis atque nominibus, & ſignificatiuis loquutionibus nomen interpretationis aptatur, à communi nomine eorum, de quibus in hoc loco tractatur, ideſt ab interpretatione, ipſe quoque de interpretatione liber inſcriptus eſt.* Hæc ille. In quibus uerbis uiri iſti alioquin perſpicaciſſimi animaduertere debebant, hæc à Boetio dicta non fuiſſe, ut libri huiuſce intentionem aperiret, ſed ut potius cauſam inueſtigaret, cur hic liber περὶ ἑρμηνείας, ſiue de interpretatione inſcriptus ſit? Cùm Ariſtoteles in eo potiſſimum de enunciatiua ſimplici oratione diſputet? Qua tandem inuenta colligit, hunc librum ita eſſe inſcriptum, tanquam à nomine adeo communi, & tam latè patente, ut ea omnia, de quibus in hoc libro agitur, ab illo denominarentur, inſcriptioq; iis omnibus conueniret. Quod nequaquam euenire potuiſſet, ſi de enunciatiua ſimplici oratione, liber fuiſſet inſcriptus, ut quilibet rem ipſam paulo diligentius conſiderans, facilè intelliget. Quod autem iſti Boetium nulla abſque ratione iniuriis onerent, affirmantes eum exiſtimaſſe, ſubiectum, uel intentionem huius libri eſſe interpretationem in prædicta ſignificatione acceptam; non autem ſimplicem enunciationem, id manifeſtè patebit ex uerbis ipſius Boetii in prima ſua editione, ſic dicentis, *Eſt autem intentio huius libri, de ſimplici enunciatiua oratione differere.* In ſecunda uerò editione ſic, *In hoc igitur libro Ariſtoteles de enunciatiua ſimplici oratione diſputat, & de eius elementis, nomine ſcilicet, atque uerbo.* Quibus uerbis cùm nihil clarius ſit, deſinant quæſo iſti hunc tantum uirum iniuriis afficere, aut me ipſum hallucinari oſtendant. Sed de his hactenus.

Græci autem ut Ammonius, eiusq; ſectator Magentinus & alii, licet uerbis, non tamen re, ut arbitror à Boetio diſcrepant. Sic enim Ammonius ait: *Eſt igitur huiuſce libri propoſitum, ut ſemel explicem, de prima uocum*

ſignifi-

significatione differere, quæ in prædicatiua specie, enunciatiuæ fit orationis. Porrò ab hac Ammonii sententia, Magentinum ne latum quidem unguem discedere, nemo qui utriusque eorum in hunc librum commentarios legerit, inficias ibit. Cæterum Ammonium sermone tantum à Boetio discrepare, paucis uerbis arbitror cuiuis facilè fore persuasum, hoc modo. Sciendum est, simplices uoces (quatenus ad propositum spectat) potissimum esse nomina & uerba, quæ sibi inuicem coniuncta constituunt orationem, quæ prima simplicium uocum dicitur compositio. Syllogismus enim, qui etiam si itidem ex illis simplicibus uocibus componatur, non tamen prima, sed secunda dicitur compositio, cùm non primò & per se, sed mediante oratione, ex his simplicibus uocibus fit constructus. Postquam igitur Ammonius de prima uocum simplicium compositione dicit esse differendum in hoc libro, perinde est ac si diceret, de oratione esse tractandum. Cùm autem orationis quinque sint principales species, ut in methodis docebimus, ubi enunciatiuam solam, utpotè quæ affirmat & negat, ad logicum pertinere, ex Aristotelis doctrina manifestum fiet: Cùm uerò hæc duplex sit, prædicatiua nimirum altera, quæ & κατηγορική, & simplex dicitur, ut homo est albus, altera uerò suppositiua, quæ cùm ὑποθετική, tum composita appellatur, ut si dies est, lux est: profectò nemini dubium esse debet, cùm Ammonius dicat, differendum esse de prima uocum simplicium compositione, quod hoc idem sit, ac si dixisset, de enunciatiua simplici oratione, sicut & Boetius uoluit, & multi alii, quos ne multitudine uerborum nimis prolixus fiam, hoc in loco lubens prætereo. Nam tempus esse uidetur, vt ab hoc proposito ad illud transeam in quo quid ego de huius operis subiecto sentiam, me ostensurum pollicitus sum. At necesse est, ut quædam more Mathematicorum prius declarem, cùm ut mihi ad id quod proposui aditum faciam, tum etiam ut simul ostendam, quid in hac re, tam boni, quàm mali ab istis expositoribus dictum sit.

Primùm itaque annotandum est, Alexandro auctore, has uoces *subiectum, intentionem, scopum, propositum, & finem*, plerunque ab expositoribus confundi, quæ quidem omnia ut quàm fieri potest breuiter distinguam, sciendum, in omnibus scientiis hæc duo reperiri, rem scilicet consideratam, quam græci ὑποκείμενον, nostri subiectum materiale, seu materiam stratam uocant, & rationem formalem, seu subiectum formale. De subiecto
1. Poster. materiali loquitur Auerroes, cùm statuit in omnibus scientiis esse ali-
com. 179 quid, quod unum est secundum genus, omnesq; illius partes ad unam communem naturam reduci, quæ de illis aut uniuocè, aut saltem analogicè prædicatur. Iisdem Auerroes etiam uerba facit de subiecto ma-
2. Physic. teriali, ubi dicit. *Et ideo cum ens diuiditur secundum considerationem demon-*
com. 71. *stratiuam intrabit una natura in duas artes, ut consideratio Mathematici & Naturalis de corpore, & linea, & superficie.* De eodem subiecto materiali, seu materia strata loquitur etiam Ammonius in præfatione Prædicabi-

lium,

lium, ubi docet, quomodo artis & ſcientiæ definitiones deſumantur à materia ipſa.

Ratio autem formalis, ſiue ſubiectum formale, dicitur poſtea modus conſiderandi, uel, ut Auerroi placet, modus ſpeculationis. Et ratio formalis, uel ſubiectum formale appellatur, quoniam ſubiectum materiale, ſeu materia ſtrata, quæ pluribus poteſt formis ſubijci (materia enim, teſte Ariſtotele, poteſt per plures formas terminari) & ex conſequenti à diuerſis ſcientijs ſpeculari, ab illo unitatem conſequitur, atq; ſcientia dicitur una. Nam forma ſecundum Philoſophum eſſe, & ueritatem materia largitur. *1. Poſter. com. cita to. 7. Meta. tex 8. 2. de Anima tex. 2 & 1. Phyſic. tex. 69.*

Porrò ex his duobus ſimul iunctis, quiddam tertium reſultat, quod recentiores ſubiectum adæquatum appellant, de quo loquitur Philoſophus, cùm dicit, Scientiarum unitatem & diuerſitatem ab eo quod ſcitur genere deſumi, cuius tres aſſignat conditiones, quod ſcilicet habeat partes, paſsiones, & principia. Sed hæc de ſubiecti diſtinctione dicta ſufficiãt. *1. Poſter. loco citato.*

Reliqua duo ſe ſe iam offerunt conſideranda, nempe, Finis, & Intentio, ſiue Scopus, ſiue Propoſitum (Nam hæc tria nomina idem ſignificant) quæ quoniam in ſcientijs, aut omnino non diſtingui, aut ſaltem obſcurè cenſemus, idcirco ad eorum clariorem intelligentiam, hæc quo pacto in artibus ſeiungantur, paucis aperiemus. Intentio igitur mihi uidetur, non modo ratione, ſed re quoque à ſubiecto differre poſſe, cùm re uera in artibus nihil aliud ſit, quàm modus cõſiderandi, ſeu ſubiectũ formale totius ſubiecti adæquati. Differt tamen intẽtio, & ratio formalis in hoc, quod ratio formalis, pluribus, intentio uerò unica uoce exprimitur. Huius rei exẽplum nobis ars medica ſuppeditat, cuius ſubiectum adæquatum dicitur eſſe, corpus humanum, quatenus ſanabile. Vbi corpus humanum, eſt illa materia ſtrata, quæ ſubiectum materiale dicitur; quatenus uerò ſanabile, eſt ratio formalis, ſeu ſubiectum formale, quæ formalis ratio ſi unica uoce exprimitur, erit ſanitas, quæ eſt artis medicæ uera intentio.

Reſtat modo, ut finem quoq; conſideremus, qui ab intentione nihil differt, niſi in hoc, quòd intentio ſignificat finem ipſum præmeditatum, & in artificis mente conceptum, nondum tamen acquiſitum. finis autem ſignificat conſequutionem eius, quod præmeditatum, & in artificis mente conceptum fuerat. Exemplum habemus in Galeno, ubi dicit, intentionem artis medicæ eſſe ſanitatem, finem uero eſſe eius poſſeſsionem. *Lib. de ſectis ca.*

His itaque ſic inter ſe diſtinctis, Vnum adhuc reſtat, quod maximopere conſiderandum mihi uidetur, antequam quo ad huius libri ſubiectum meam ſententiam proferam. Nempe quotuplex ſit ſubiectum in unaquaq; ſcientia, quoniam iuxta regulam Ariſtotelis, Omne quod multipliciter dicitur prius eſt diſtinguendum, mox uerò id de quo agitur propoſito accõmodandum, ne ratione multiplicis intellectus confundatur. Quod id uerò ut rectè fieri poſsit, ſtatuendum eſt, in omnibus tam artibus, quàm ſcientijs, præter iam dicta illa duo ſubiecta, materiale ſcilicet *1. de Cælo tex. 110.*

& formale, esse tertium illud subiectum, quod totale siue adæquatum dicitur: quod, ut iam ostensum est, ex illis duobus prioribus constituitur, & est illud quod continet omnia, quæ considerantur in aliqua scientia uniuersali, & æquali proportione correspondet omnibus tam partibus, quàm particulis illius scientiæ, cui dixit Aristoteles considerandas esse partes, principia,& passiones. Hinc aliqui annotarunt, meritò subiectum tria nomina sortitum esse, nam genus, subiectum, & compositum dicitur: Si enim ad species, hoc est, ad partes subiectiuas referatur, genus appellatur; si uerò ad principia, cōpositum; & si ad passiones, subiectum dicitur.

Quartò postea est subiectum, quod dicitur principale, & est nobilior ac perfectior pars subiecti totalis, siue adæquati. Appellaturque hoc subiectum ab Auerroe, prima intentio, primus finis, & primum intentum.

8. Phy. com. 1. 12. Metaphy. com. 1. Quintò subiectum est partiale, quod est omne aliud à subiecto totali consideratum in aliqua scientia: & hoc pacto principia, partes, & passiones subiecti totalis, possunt esse subiectum partiale.

Sed ad horum clariorem elucidationem adducatur exemplum ex Philosophia naturali, in qua scientia dicimus, corpus naturale, subiectum esse materiale; quatenus uerò naturale, subiectum formale; quod uerò aggregatum ex his, subiectum adæquatum; corpusq; cæleste, subiectum principale, & deniq; quodcunq; aliud in huiusmodi scientia consideratur, siue illud sit corporis naturalis principium, siue pars, siue passio, subiectum partiale dicitur.

Hæc ergo sufficiant quo ad ea, quæ mihi declaranda fuerant, antequam meam sententiam de huius operis subiecto proferrem.

Nunc ad propositum rediens, paucissimis uerbis, quid ego sentiam aperiam, & simul etiam aliorum errores ostendam. Dico igitur materiam stratam, seu subiectum materiale huius libri esse simplicem ipsam enunciationem, quæ quoniam in alijs etiam libris ad logicam pertinentibus consideratur, addenda est ei ratio formalis, quæ adeo eam limitet, ut subiectum huius libri adæquatum inde resultet. In hoc uerò plurimum errauerunt expositores illi, de quibus supra; quandoquidem materiam stratam tantùm ponentes, rationem formalem omiserunt, quæ ut Beatus Thomas innuere uidetur, nihil aliud est, quàm compositionem & diuisionem denotare, ut sic secundæ operationi intellectus deseruiat. Nam duplex est intellectus operatio, scilicet indiuisibilium intellectio, per quam res in sua apprehenditur essentia, atq; compositio & diuisio; & in hac postrema omnis *3. de Anima. tex. 21.* ueritas & falsitas continetur, ut auctor est Philosophus; quamuis iis etiam duabus tertia possit addi, ut inquit Beatus Thomas, nempe ratiocinatio, per quam intellectus ipse de præmissis ad conclusionem discurrit. Sed de hac aliàs.

Iam ergo patet sub qua ratione, & sub quo modo considerandi, hic de enunciatione simplici agatur. Vnde quid ipsum sit subiectum adæquatum, facilè erit colligere. Est enim simplex enunciatio, uel ut deseruit secundæ

intellectus operationi, uel quatenus in illa uerum uel falsum continetur, quod idem esse puto.

Subiectum autem principale, si illud excogitare licet, erit pars ipsius enunciationis nobilior ac præstantior, idest ipsa affirmatio. Reliquæ uerò eius partes, principia, & passiones, de quibus, ut sigillatim inferius patebit, in hoc libro consideratur, erunt subiecta partialia.

Hæc de subiecto huius operis, secundum nostram sententiam, dicta sufficerent, nisi ex dictis aliqua oriri posset dubitatio. Nam dubitaret aliquis, cùm subiectum de omnibus in scientia consideratis uerificari debeat, non uidetur quod enunciatio rectè dici posit subiectum, quia non uerificatur de omnibus, sed uerius de interpretatione dici posse uidetur, cùm nomini, uerbo, ac huiusmodi alijs conueniat, de quibus in hoc libro, malè ergo positum fuit quod enunciatio sit in hoc libro subiectum.

Cuiusmodi dubitationi occurrens, respondeo, falsum esse subiectum de omnibus in scientia consideratis uerificari, aut prædicari debere, hoc enim tantùm locum habet in partibus subiectiuis, ut puta in proposito, in affirmatione, & negatione, non autem in principijs subiecti, cuiusmodi sunt nomen & uerbum, sicuti cuilibet rectè rem secum consideranti, planum uidebitur.

Sed iterum hæsitaret aliquis, cùm eiusdem sit scientiæ considerare totum & partes; & enunciatio, ut liquidò constat, sit pars syllogismi, de quo agitur in libris Priorum Analyticorum, cur ergo ibi etiam non agitur de enunciatione, potius quàm in hoc libro?

Congruam etiam huic difficultati responsionem colligere licet ex supradictis: Quod quamuis in utroq; libro de enunciatione considerari possit, diuersa tamen id contingit ratione. Nam in hoc libro enunciatio consideratur, ut secundæ intellectus operationi deseruit; in libris autem Priorum Analyticorum consideratur, ut deseruit tertiæ; cùm ibi de syllogismo agatur, discurrendo scilicet de præmissis ad conclusionem. Quare eiusdem scientiæ est considerare totum & partes, quo ad proprietates, quæ partibus conueniunt, sicuti stant sub forma totius, non tamen quo ad rationes, quæ conueniunt partibus secundum aliam considerationem. Sed ut ad secundum caput, quod est de huius operis utilitate tandem perueniam, huic disputationi iam finem faciam.

Erat utilitas huius libri secundo loco consideranda, quæ certè maxima est, cùm demonstrationi deseruiat. quare consideranti quanta sit ipsius demonstrationis utilitas, statim apparebit perutilem hunc esse de enunciatione librum. Neque uerò hoc qui considerauerit deprehendet ad demonstratiuam tantùm methodum, utpotè ad tertiam intellectus operationem utilem esse hunc librum; sed omnino etiam illum perspiciet itidem secundæ intellectus operationi deseruire. Quod ex Boetij uerbis, qui eius commentarios in secunda sua editione legerit, facilè colliget, cuius hæc sunt uerba: *Quid uerò utilitatis habeat, non ignorabit qui sciet, quæ in oratione ueritas con-* UTILITAS.

 stat

stas & falsitas, in sola enim hac enunciatiua oratione consistunt. iam uerò quæ diuidant ue rum falsumq́; quæue definitæ, uel quæ uarie, & mutabiliter ueritatem falsitatemq́; patiantur, quæ iuncta dici possunt, cùm separata ualeant prædicari: quæ separata dicuntur, cùm iuncta non sint prædicata, quæ sint negationes cum modo propositionum, quæ earum consequentiæ: aliaq́; plura, in ipso opere considerator poterit diligenter agnoscere, quarum maximam experietur utilitatem, qui animum curæ alicuius inuestigationis aduerterit. Hæc ille. Quibus ego cuilibet quo ad hoc caput pertinet abundè satisfactum iri existimans, de utilitate huius libri nihil amplius dicturus, ad alia transeo.

ORDO.

v. Meta. cap. de priori

In lib. Præd. ca. de quantitate.

In prologo. 1. phy. loco citato.

In Artis medicinalis primordijs.

Ordo autem incœpti sermonis iam postulat, ut de ordine huius operis differam. quod ut rectè fiat, primò dicendum est quid sit ordo. Est autem ordo teste Aristotele, dispositio rerum secundum prius, & posterius. In qua definitione Zimara notat, prius & posterius esse rationem ordinis. Porrò quia in scientijs est etiam uia doctrinæ, ut docet Auerroes, quæ sit inter ordinem & uiam doctrinæ differentia, breuiter annotandum est. Dicimus ergo quod ex Auerrois sententia, uia doctrinæ est triplex genus demonstrationis, uidelicet demonstratio signi, demonstratio causæ tantùm, & demonstratio causæ & esse: Ordo uerò doctrinæ, sicut ex supradicta eius descriptione apparet, est illa dispositio, qua scibilia tractanda, in qualibet scientia disponuntur. Possunt fortasse ad hoc propositum accommodari ea, quæ de ordine doctrinæ disserit Galenus, ubi statuit doctrinæ ordinem esse triplicem, Compositiuum nimirum, Resolutiuum, ac Definitiuum. Nam cùm proposito fine, aut composito aliquo, illud in suas causas resoluitur, ordo dicitur resolutiuus; & quanquam hic ordo plurimùm ad rerum inuentionem conducit, si tamen in tractatione à posterioribus incipiamus ad priora procedentes, quædam apparebit dispositio secundum prius & posterius, quæ (ut paulò ante dicebamus) nihil aliud est, quàm ordo quidam doctrinæ. Quando autem de re tractantes, è contrariò procedimus, à simplicibus scilicet causis, & ab jis, quæ gratia sunt finis ad compositum ipsum, finemq́; compositiuus appellatur ordo: atq́; iste ad artes tradendas maximè accommodatur. Proposita uerò definitione aliqua cùm ea per suas partes distinguitur, definitiuus fit ordo, qui & mirum in modum memoriæ prodest, & tractationi quoque plurimùm deseruire potest. Non fuerit etiam arbitror ab re hic distinguere, quid Ordo doctrinæ, & Methodus inter se differant. Ordo igitur doctrinæ dispositio est illa scibilium, quam dixi; Methodus autem sunt instrumenta, quibus in tradendis disciplinis utimur, quorum duo principalia sunt, uidelicet Definitio & Demonstratio; duo uerò minus principalia, nimirum Resolutio & Diuisio. Ex quo etiam facilè colligi potest, Methodum esse uniuersaliorem, quàm Viam doctrinæ, quandoquidem Methodus Demonstrationem, Definitionem, Resolutionem, ac Diuisionem sub se complectitur; Via uerò doctrinæ, tantùm actualiter Demonstrationem contineat. Quanquam haud falsum sit etiam, Viam ipsam doctrinæ, uirtute seu potestate Methodos omnes comprehendere: Definitio enim sub ea continetur, cùm

&ipsa

& ipsa medium sit in Demonstratione, similiter etiam Resolutio, cum Demonstrationi deseruiat, Diuisio quoque ipsa, quandoquidem Definitioni auxiliatur.

His itaq; suppositis, & qua fieri potuit breuitate inter se distinctis, ad id quod institui, sermo dirigēdus est, ut qua serie collocandus sit iste liber, tandem explicetur. In quo primum statuere oportet, id quod infra manifestabitur, uidelicet hunc librum inter libros Aristotelis esse connumerandum; quo posito, facilè admodùm erit, locum eius inuenire, cùm statim post librum Prædicamentorum, qui primus est, inter libros ad logicam attinentes, sit collocandus. Cùm enim in libro Prædicamentorum tractatum sit de simplicibus uocibus, hic uerò de enunciatiua oratione agatur, quæ ex illis simplicibus uocibus immediate componitur (ut supra dictum est) merito ordine compositiuo liber iste secundum sibi uendicat locum. Adde quod (ut in suis commentarijs ait Beatus Doctor) cùm in libro Prædicamentorum, de jis quæ pertinent ad primam intellectus operationem actum sit, hunc iure optimo subsequi debet liber iste de enunciatione, in quo agitur de iis quæ pertinent ad secundam ipsius intellectus operationem. Nec audiendi sunt illi, qui de medio tollunt librum ipsum Prædicamentorum, asserentes eum uel esse spurium Aristotelis librum, uel, si germanus liber ipsius sit, non tamen inter libros logicæ disciplinæ esse ponendum. Spurium uerò esse aiunt Aristotelis, Archytæ autem Tarentini legitimum, qui Iamblicum sequuntur Porphyrii discipulum, qui quidem hoc affirmauit, ea ratione adductus, quòd in eo multa leguntur, quæ Aristotelis sententiæ aduersentur. At hoc neque ipse affirmasset Iamblicus, neque isti in eius opinionem uenissent, si animaduertissent, Aristotelem sæpe, non ex proposito de aliqua re differentem, nonnulla interponere, quæ potius aliorum, quàm propriæ sint sententiæ. Nunquid autem liber iste ad logicam facultatem pertineat, hìc non est locus disputandi, ne sermo alioquin satis prolixus ad tædium usque protrahatur. Quare hoc libro in suo ordine relicto, nunc ad diuisionem me conferam.

DIVISIO

Diuisio quarto loco consideranda est, quæ licet diuersimode ab expositoribus afferatur, (siquidem Græci hunc librum in quinque sectiones diuidunt, Arabes in quatuor differentias distinguūt, Latini quandoq; in duas, quandoque in sex libros secant) ego tamen non opus esse arbitror, ut hoc loco de huius operis diuisione uerba faciam. Cùm in meis methodis tot diuisiones, & subdiuisiones appareant, ut ibi quo ad hoc caput pertinet, cui libet facilè satisfactum iri existimem. Quare diuisione omissa, ad operis inscriptionem transeo.

INSCRIPTIO

Quintum locum habuit inscriptionis consideratio. quare de ea nunc disputantes dicimus, quod inscriptus est hic liber περὶ ἑρμηνείας, idest de Interpretatione. Cùm autem interpretatio, secundum Boetium, uox sit significatiua, per se ipsam aliquid significans; nomē, & uerbum, pronomen, participium, atq; orationes interpretationes quædam erunt, cùm singula

hæc

hæc aliquid significent per se ipsa; coniunctiones uerò, atq; præpositiones, & alia id genus, cùm non nisi aliis iuncta significent, interpretationibus minimè annumerantur. Nec mirum esse debet (ut inquit Boetius) quòd Aristoteles hunc librū de interpretatione inscripserit, quāuis potissimùm de enunciatione tractet. facit enim perinde ac siquis de homine disputans titulum operis de animali, poneret.

NOMEN. AUTORIS. Ammonius tamen uocabulum ἑρμηνείαν posse aliquando adeo stricte accipi existimans, ut idem, quod enunciatio significet: affirmat inscriptionem περὶ ἑρμηνείας idem quodammodo esse, ac de enunciatione; ut legenti eius commentarios patebit. Verum uter ad ueritatem magis accedat, unicuiq; iudicare liberum esto.

De nomine Autoris quid sentiendum, differere nunc est opus. Extat uerò (ut de aliorum opinionibus prius dicam) Andronici sententia (Ammonio atq; Boetio referentibus) negantis hunc librum esse legitimum Aristotelis: Proptera quòd hic nonnulla leguntur, quæ ab Aristotelis propria sententia discrepare uidentur. Nam in huius operis procemio conceptus animi Auctor passiones appellans, de iis in libris de Anima se dicturum pu- blicetur. Quod sanè apud Aristotelem nunquam inueniri putauit Andronicus.

Sed hoc quantùm à ueritate absit, quanta ue iniuria Philosophum afficiat Andronicus, manifestum erit cuilibet, tertium maximè librum Aristotelis de Anima legenti. Vbi de imaginatione uerba faciens (quod & prædicti expositores aduersus Andronicum afferunt) eam uocat intellectum passiuum, quin etiam ipsum intelligere quodammodo pati, & intellectionem quandam passionem perfectiuam esse dicit. Adducuntur etiam aliæ quàm plures rationes ab illis, & maximè à Boetio, quibus Andronici, & aliorum eius opinionem defendentium argumenta apertissimè refelluntur, ad quorum expositorum commentarios breuitati studens, lectorem de iis plura cognoscere uolentem remitto.

Cæterùm & Ammonius ipse, circa ultimam huius libri sectionem, in qua quæritur, Vtrum affirmatio magis affirmationi quàm negationi opponatur, dubitare uidetur, sit ne Aristotelis propria & legitima, an potius ab aliquo ex expositoribus addita fuerit, quia partem falsam Auctor affirmare uidetur; Aut quod quæstio ista ab ipso Philosopho ad exercenda legentium ingenia, dedita opera fuerit relicta, ita mutila & imperfecta, quasi adhuc sub iudice pendens, ut alibi determinanda foret. Atque hoc postremum probabiliter affirmat ex consuetudine Philosophi, qui cùm alibi, tum in Prædicamentis, capite πρός τι hoc idem præstitit. Ibi enim quæstionem mouet, nunquid relatiua simul sint naturà, ut scibile & scientia: Et ad partem falsam arguendo, probat scibile scientia prius esse. quam tamen quæstionem perfectè determinandam ad secundum Physicorum remittit, ubi tandem eius, quod in Prædicamentis probabiliter argumentatus fuerit, oppositum demonstrat.

Illud

Illud uerò quo magis credat, adducitur autoritate Philosophi contra hanc partem sentientis in multis locis,& ob hanc causam Porphyrium partem istam noluisse interpretari affirmat. Ego uerò dicerem, fortasis non longè nos à ueritate recedere, si affirmemus hanc ultimam partem, non minus quàm uniuersum hunc librum esse Aristotelis, & istam quæstionem fuisse ab eo perfectè absolutam & conclusam: sed diuturnitate temporis omnium rerum edacis, postea scripturam eius fuisse mutilatam & corruptam. *5. Phy. et 10. Meta.& alibi.*

Constat enim libros Aristotelis, cùm diu latuissent sepulti, postea à tineis corrosos, ab Appellicone Teio malè fuisse emẽdatos. Quod ex Strabone probari potest, de Aristotelis bibliotheca sic scribente: *Aristoteles & bibliothecam & Scholam reliquit Theophrasto, & primus omnium quos scimus, libros congregauit, & Aegypti reges bibliothecæ ordinem docuit; Theophrastus uerò eam tradidit Neleo, Neleus eam Scepsim detulit, ac posteris dedit, hominibus sanè imperitis, qui libros inclusos, ac negligenter positos tenebant. Cumq; Attalicorum regum, sub quibus erant, studium sentirent conquirendorum librorum, ad instruendam eam bibliothecam, quæ Pergami erat, eos in fossa quadam sub terram occuluerunt, quos & tineis, & humiditate labefactatos, tandem, qui ex eo genere erant, Appelliconi Teio tradiderunt, magno emptos argento. Appellicon autem, ut qui magis librorum esset studiosus, quàm sapientiæ, uolens corrosiones emendare, eos transcribendos dedit, scripturæ non rectè suppleta, quapropter libros edidit erroribus plenos.* Hæc Strabo. Credendum est igitur non omnia ab Appellicone reddita fuisse, sed tantùm ea, quæ minimam correctionem desiderare uidebantur; illos autem libros, in quibus plura desiderabantur, imperfectos ab illo fuisse relictos. *Lib. 13. sua geographia.*

Sed quoniam hoc fortè minus satisfacit quàm opus sit, alia defendendi ratio inuenienda, eaq; huiusmodi esse potest, hanc quæstionem aliter in scientia reali, & aliter in scientia rationali esse determinandam. Cùm enim enunciatio dupliciter considerari posit, uidelicet materialiter (ut sic dixerim) & formaliter, idest, uel ut enunciatio, uel ut res enunciata, meritò hinc duæ oriuntur oppositiones, quarũ una refertur ad enunciationẽ, ut est enunciatio, altera uerò ad enunciationem, ut rem enunciatam respicit. Hanc igitur magis ad Physicũ, ut potè ad scientiam realem, quæ de rebus cõsiderat, illam uerò potius ad logicum, tãquam ad scientiam rationalem, quæ enunciationem, ut est enunciatio, respicit, omni uel mediocriter, cum in Physica, tum etiam in Logica uersatis, manifestum esse puto. Quare cũ affirmationi magis opponatur negatio, oppositione formali, affirmationi autẽ affirmatio magis, oppositione materiali; ut in exẽplo patet, nã formaliter opponũtur homo est albus, homo non est albus: materialiter uerò homo est albus, homo est niger. Iam omnibus persuasum esse arbitror, Philosophum hoc in loco tanquam in negotio logico & rationali, affirmationi magis negationi, In Physicis uerò & Metaphysicis, ut in negotio reali, affirmationi affirmationem magis opponi, iure optimo docuisse. Quòd si mihi obiiciatur Aristotelem in proœmio Topicorum (ut Ammonius inquit) affirmationi

ni

ni magis oppoſuiſſe affirmationem, quàm negationem, cum tamen ſit in negotio Logico: poſſum ad hoc dubium dupliciter reſpondere: Vel quod ibi Ariſtoteles non loquitur comparatiuè, Vel quod hoc ab eo tantum obiter, & exempli gratia, dictum ſit; ut ipſius uerba rectè conſideranti perſpicuum erit. Non faceſsat igitur negotium huiuſmodi dúbitatio, neq; dicere ob hoc uereamur, Ariſtotelis totum hunc librum eſſe.

AD QVAM PARTEM PHIL. SIT REFERENDVS.

Ad ſeptimum igitur φροιμίων cõuerſus, ad quam partem philoſophiæ liber hic referendus ſit, oſtendam. Ad eam igitur philoſophiæ partem eum reduci debere arbitror, quæ organica, ſeu inſtrumentaria, uel rationalis dicitur (ſi placeat hanc inter philoſophiæ partes reponere) Organica quidem & inſtrumentaria, eo quod doceat organa, uel inſtrumenta, quæ ſcientiis realibus adminiculantur: rationalis uerò, quia de ente rationis, utpotè ab intellectu fabricato pertractat. Cùm enim in hoc libro de propoſitionibus agatur, ex quibus Syllogiſmus conſtituitur, Syllogiſmus autem demonſtrationis ſit ſpecies, de qua logicæ facultatis munus eſt pertractare, iure optimo liber hic ad logicam facultatem pertinere putandum eſt. Quod autem de demonſtratione agere ad logicam diſciplinam ſpectet, manifeſtum eſt, quia Logica habitus eſt intellectus docens modos arguendi, per quos uerum à falſo in ſcientiis, & bonum à malo in rebus diſtinguere uolemus.

1. Ethic. c. ultimo. Dico autem habitus intellectus, quia ſunt etiam habitus ſenſus, ut Temperantia & Fortitudo, ad quos Logica non reducitur. Sed tunc oritur dubitatio, quia cùm ab Ariſtotele proditum ſit, habitum non uerſari circa contraria, non uidebitur, ſi logica ſit habitus, quod circa uerum & falſum, bonumue & malum, uerſari poſsit. (5. Ethic. cap. 1.)

Huic dubitationi ſic reſpondendũ puto, habitũ intellectus eſſe duplicẽ, Speculatiuum & Actiuum, Actiuum quidem non eſſe contrariorum, præſertim ſi ſumatur ſecundum ſuas operationes, quas non producit contrarias ullo pacto; Speculatiuum uerò eſſe poſſe: Quare cùm logica ad ſpeculatiuum referri debeat habitum, non mirum ſi circa contraria uerſetur.

6. Ethic. cap. 3. Iterum poterit aliquis dubitare; Quia ſecundum Philoſophum, habitus intellectus ſunt quinque, Intellectus, Sapientia, Scientia, Prudentia, & Ars. Si ergo logica habitus, ſub quo nam iſtorum habituum contineri dĩcetur? Reſpondetur, ad nullum prædictorum logicam diſciplinam reduci debere. Illi enim ſunt habitus reales, Logica uerò eſt habitus rationalis, qui realibus habitibus ita adminiculatur, ut hoc ipſo duce, uerum à falſo in illis diſtinguatur. Habes igitur Lector optimè ad quam partem philoſophiæ liber hic referendus ſit.

GENVS DOCTRINAE.

Reliquum eſt ut de genere doctrinæ, quod ultimum inter φροιμίων locũ obtinuit, diſſeram. In quo ut paucifsimis uerbis me expediam, ſic ſtatuo: Ariſtotelem in hoc libro, ferè omnibus methodis uti, præcipuè tamen definitiua & diuiſiua, ut in ſingulis partibus huius operis facilè cernitur.

Etſi ipſe Philoſophus in aliis ſuis operibus breuitati ſtudens, obſcurus eſſe uidetur, tamen in hoc opere, potiſsimùm hoc ei contigiſſe, græci ipſius

ſius interpretes teſtantur. At dubitare contingit, cur nam Ariſtoteles non ſolum hoc opus, ſed etiam reliqua omnia τὰ ἀκροαματικὰ tam breui, atq; adeo perplexa oratione tradiderit, ut illud Horatianum in iis præcipuè uerificatum ſit: *Breuis eſſe laboro, obſcurus ſio*? Cùm tamen ipſe in omnibus libris, τῶν ἐξωτερικῶν in quibus traduntur ea, quæ minoris ſunt momenti, adeo planus, adeo copioſus, adeo uerò apertus ſit, ut ea omnia, nullis etiam lectis commentariis, à quouis lectore facilè intelligi poſſint? Ad hanc dubitationem diuerſi diuerſimode reſpondent. Picus enim Mirandulanus cauſam huius obſcuritatis timori aſcribit: quaſi Ariſtoteles ueritus ſit, ne in rebus arduis, & in Philoſophiæ remotiſsimis anfractibus abſconditis, ipſe ſe cuiuslibet lectoris captui accommodaret, & nonnullis ex poſteris ſuorum ſcriptorum reprehendendorum anſam præbens in aliquo errore conuinceretur. Atq; ob hanc cauſam affirmat, Themiſtium eum ſepiæ aſſimilaſſe, quæ ut piſcatoris inſidiatrices manus effugiat, atramenti effuſione ſe tutatur. *In ſua Poetica.*

Franciſcus autem Vicomercatus ait, hoc ei eueniſſe, quoniam ipſe ſtuduit imitari antiquos, tum quo ad res tractandas, tum quo ad rationem ſcribendi. Sicut enim in multis dogmatibus Hippocratem ſequutus eſt, ut in qualitatum elementorumq; numero (Galeno teſte) ſic etiam mira breuitate, & obſcuritate ſermonis credendus eſt uoluiſſe in legentium animis, ad illius imitationem, diligentioris indagationis aculeos relinquere. *1. Phy.* *1. Meth. & alibi.*

Græci uerò interpretes, ut Ammonius, & Simplicius in præfatione Prædicamentorum aiunt, Ariſtotelem in prædictis libris ob has potiſsimùm cauſas adeo fuiſſe obſcurum, ut & auditores attentos, acutioreſque redderet, & ignauos ab his ſtudiis deterreret. Antiqui enim minimè conuenire arbitrabantur ut arcana Philoſophiæ contrariis, & plebeiis hominibus communicarenrur, ſicut Simplicius aſſerit. Quamobrem illam fabulis regebant, ſimilitudinibusque, & metaphoris; quibus tamen relictis Ariſtoteles in ea tradenda conciſo admodum genere dicendi uſus eſt, ur non facilè ab hominibus intelligi poſsit. Atque hoc illi fuiſſe propoſitum patet ex ipſius epiſtola ad Alexandrum Regem, cuius hæc ſunt uerba: *Ariſtoteles Alexandro ſalutem. Scripſiſti mihi de auſcultariis libris, quos putas in arcanis reconditos eſse oportere. Scias igitur uelim, ipſos editos, atque non editos eſſe, nam his tantum intelligibiles erunt, qui me audierunt. Vale.* Reddit ergo hìc Ariſtoteles rationem ſuæ obſcuritatis, ut Regis indignationem, ſi qua ex librorum illorum editione orta erat, mitigaret.

Cùmq; unuſquiſq; ſuorum uerborum optimus interpres eſſe dicatur, fortaſſis non immeritò Lector, ex hac Ariſtotelis reſpóſione, liberabit eum à timoris ſuſpitione, quam Picus ei adſcripſit.

De aliorum tamen reſponſionibus, liberum eſto cuilibet pro ſuo arbitratu ſentire quid uelit. Hoc unum tamen lectores hìc admonitos eſſe uelim, nequaquam audiendos eſſe eos, qui Ariſtotelem ob uim ralem dicen

di, aliter dicere non potuisse existimant. Siquidem cum in pluribus locis apertissimè loquutum esse constat.

Hæc habui, quæ ad intelligendum hunc librum ante lectionem mearum & annotationum, & methodorum tibi (Studiose Lector) prædicenda fuisse putaui. Nunc ad ipsius Autoris procemium sermonem meum dirigam.

FINIS PRAEFATIONIS.

ARISTOTELIS STAGIRITAE
ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ

TEXTVS.

PRIMVM oportet ponere quid ſit nomen, & quid verbum: poſtea quid eſt negatio, & affirmatio, & enunciatio, & oratio. Sunt ergo ea quæ ſunt in voce, earum quæ ſunt in anima paßionum notæ: & ea quæ ſcribuntur eorum quæ ſunt in uoce. Et quemadmodum nec literæ omnibus eædem, ſic nec eædem uoces. Quorum tamen hæc primùm notæ ſunt, eædem omnibus paßiones animæ ſunt: & quarum hæ ſimilitudines, res etiam eædem. De his uerò dictum eſt in ijs qui ſunt de anima: alterius enim hæc ſunt negotij. Eſt autem quemadmodum in anima aliquando quidem intellectus ſine uero uel falſo, aliquando autem cui iam neceſſe eſt horum alterum ineſſe: ſic etiam in uoce. circa compoſitionem enim & diuiſionem eſt uerum & falſum. Nomina igitur ipſa & uerba conſimilia ſunt ei, qui ſine compoſitione & diuiſione eſt, intellectui: ut homo uel album, quando non aliquid additur. neque enim falſum, neque uerum adhuc eſt. Signum autem eius eſt, hircocerus enim aliquid ſignificat: ſed nondum uerum aliquid, uel falſum, niſi eſſe uel non eſſe addatur, uel ſimpliciter, uel ſecundum tempus.

ALFONSI BAROCCII
ANNOTATIONES.

EXPLICATIS his, quæ ad uberiorem totius operis intelligentiam utilia uidebantur, tempus me uocat ad enarrationem textus, qui quamuis in meis methodis ita dilucidatus uidebitur, ut sine magno labore à quouis, qui logicæ disciplinæ primordia uel leuiter attigit, facilè intelligi possit: tamen ut hoc etiam sine præceptoris adminiculo fieri posfit, circa procemium Auctoris, quemadmodum etiam in reliquis meis methodis, circa cuiuslibet initium, nonnulla sunt annotanda; tam ad explicanda loca difficiliora passim occurrentia, quàm ad dilucidanda & soluenda quædam dubia, quæ circa textum oriri possunt. Non enim licuit hæc omnia in methodis adeo breuibus complecti, alioquin series, ac totus ordo in eis peruerteretur, & omnia redderentur obscuriora. Quare hoc ut euitaretur, ea quæ singulare examen uidentur postulare, seorsum in cuiuslibet methodi capite, qua fieri potuit breuitate explicare decreuimus: ita tamen ut in illis locis in quibus expositores inter se digladiantes mirum in modum discrepant, omissis aliorum uarijs opinionibus, tantùm id inseratur, quod nobis ipsis aut uerum aut certè magis probabile uidebitur.

Cauendum est enim, ne aliorum opiniones à ueritate alienas confutando, molesti simus. Ideòque tantùm rei ueritatem nudis uerbis ostendemus.

3. Rhet. cap. 13. Primùm itaque sciendum est (Aristotele autore) in omnibus tam artibus, quàm scientijs tradendis partes tres spectari, uidelicet Exordium, Tractatum, & Epilogum, quarum quidem partium, cùm duæ uideantur esse necessariæ, tertia uerò tantum ad bene dicendum inuenta, Aristotelem nunc, ea omissa, tantùm de duabus prioribus, ut necessarijs in hoc libro agere. Ideoq; librum istum in duas diuidi partes, Procemium nimirum & Tractatum. Circa Procemium uerò quid notandum sit, antequam ipsum Tractatum aggrediamur, hìc aperiemus.

Et primùm quidem notandum est, Aristotelem omnes suos libros, ab uno trium modorum ordiri: Vel scilicet à propositione aliqua famosa:
1. Meta. ut Omnis homo naturâ scire desiderat. Item Bonorum & honora-
In lib. de Anima. bilium notitiam opinantes, &c. Item Quoniam intelligere & scire
1. Phy. contingit circa omnes methodos, &c. Item Omnis ars, omnisque do-
In lib. Ethic. ctrina, atque omnis actus electio, bonum quiddam appetere uidetur.
1. Meteor. Vel à memoria dictorum: ut De primis autem causis naturæ, & de omni motu naturali, &c. Item Quod quidem igitur neque factum, ne-
In 2. de cælo. que contingit corrumpi, &c. Vel à dicendorum propositione; ut cùm ait
1. de Gener. De generatione autem & corruptione, &c. Item De sophisticis autem E-
In 1. Elench. lenchis, &c.

Quibus sic se habentibus, trium dictorum modorum postremo appa-

ret Aristotelem hic usum fuisse, cùm inquit, Primùm oportet ponere quòd sit nomen, &c.

Modo igitur exordiendi considerato, proximum est circa textum quædam notatu digna obseruare: & primùm, quod hæ duæ dictiones ΠΡΩ͂ΤΟΝ & ἜΠΕΙΤΑ .i. *Primum* & *Postea* uidentur ordinem significare, quo conuenit res agere; Videlicet ut prius de nomine & uerbo, tanquam de simplicioribus, postea uerò de negatione & affirmatione, tanquam ex ijs compositis
agatur. Sed quoniam alibi legitur à compositis ad simplicia, uel ab uni- *1. Phy.*
uersalibus ad singularia procedendum esse, atq; ob id, ex mente ipsius Phi *tex. 4.*
losophi, posset aliquis dubitare, sibi ne ipsi contradicat: Animaduertendum huiusmodi dubitationi iam responsum esse in Præfatione huius operis, ubi notatum fuit, doctrinæ modos esse tres, Compositiuum, Resolutiuum, & Definitiuum. Constat autem Philosophum hoc loco rem tractare modo compositiuo; In libris uerò Physicorum, modo resolutiuo, Ideo nil mirum aliter si ibi dicatur.

Sed tunc oritur noua quæstio, uidelicet quam ob causam Philosophus hic ordine compositiuo, illic autem resolutiuo rem tractare uoluerit; Ad hoc respondendum, quod in docendis rebus, semper à nobis notioribus
ad minus nota procedendum est, ut autor est Aristoteles. Cùm ergo in re- *1. Phy.*
bus logicis simplicia nobis notiora sint, quàm composita, quandoquidem *tex. 2.*
res illæ ab intellectu nostro sint fabricatæ (ut testatur Auerroes) In natura- *1. de Anima.*
libus autem rebus, utpotè ab ipsa natura confectis, composita nobis notio *com. 8.*
ra sint ipsis simplicibus, ut idem Auerroes asserit his uerbis, *Si igitur nos age* *1. Phy.*
remus res naturales, tunc causæ essent notiores apud nos; Sed quia nos non habemus agere *com. 3.*
eas, ideò dispositio in eis est contraria dispositioni in rebus artificialibus. Magna ergo cùm ratione illic à compositis, & sic ordine resolutiuo, hic uerò à simplicibus, & per consequens ordine compositiuo fuit procedendum.

PONERE. uerbũ ponere, græcè θέσθαι, hoc loco idem significat, quod definire. Positio enim multis modis sumitur. Ego uerò multis eius significationibus nunc omissis, eas tantùm afferam, quæ ex Aristotele uarijs locis colligi possunt. Sumitur ergo positio nonnunquam pro uno ex decem Prædicamentis (ut Aristoteles docet) quod cùm ab ipso breuissimis sanè uerbis examinatum fuisset, postea diffusius, absolutiùsq; declaratum fuit per Gilbertum Porretanum. Secundo modo sumitur positio, pro opinione extranea alicuius famigeratorum in Philosophia, Vt quod non sit contra dictio, sicut dixit Antisthenes, aut quod omnia mouentur, ut Heraclytus, aut quod unum est ens, ut Melisus. Huius significationis meminit Ari
stoteles in diuersis locis, ut primo Topicorum & Physicorum. Tertio su- *1. Top. cap. 9.*
mitur positio, pro una specie principij immediati demonstrationis; & tunc *1. Phy.*
secundum Philosophum positio diuiditur in suppositionem, quæ affirmat *tex. 9.*
& negat, atq; in definitionem, quæ neq; affirmat neq; negat. Ideo statuen- *1. Post.*
dum est uerbum θέσθαι, i. ponere, capi hoc loco pro definire, nimirum in po *tex. 14.*
strema significatione positionis sumptũ; capiendo tamen genus pro specie.

C!

Quid

Quid sit nomen et quid uerbum. Circa hæc uerba duæ difficultates oriri possunt: quarum prima est, Cur nam Aristoteles tantùm de nomine & uerbo se acturum polliceatur, cum plures orationis partes esse constet. Altera, quòd Aristoteles hic de nomine & uerbo tractans, quæ inter simplicia enumerantur, uidetur idem rursus agere, quod in libro Prædicamentorum fuit absolutum, ubi de simplicibus uocibus actum est.

Sed ad primam respondet Ammonius, quod quamuis plures sint partes orationis, quàm nomen & uerbum, tamen Aristoteles hic tantùm de istis duabus meminit, quia sola hæc sunt quæ sibi inuicem adiunctæ perfectam ac simplicem orationem constituunt: Vt Socrates ambulat; quod certè reliquæ orationis partes minimè præstare possunt. Coniunctiones enim & præpositiones, nihil omnino designant, nisi cum aliquo horum duorum adiunctæ associatæq;. Sub nomine uerò etiam pronomina, nec non aduerbia, & interiectiones collocantur: aliquid enim definitum significant, & nulla est ibi uel actionis, uel passionis significatio. Quod, ut Boetius ait, qui eandem responsionem sequitur, si casibus horum quædam flecti non possunt, nihil impedit. sunt enim quædam nomina, quæ *μονόπτωτα* uocantur: Sub uerbo quoq; participia continentur. Quare Aristoteles, aliis partibus omissis, tantùm de principalibus agit, & alias sub se continentibus.

Secundum uerò plerique sic soluunt; Aliter in libro Prædicamentorum, & aliter hoc in loco de uocibus simplicibus dictum esse: ibi enim ut simplices intellectus significant, & ita ut primæ intellectus operationi deseruiunt, hic uerò ut sunt partes enunciationis, & sic ut ad secundam intellectus operationem spectant.

Sunt ergo ea quæ sunt in uoce, &c. Quo ad hanc partem, duo sunt adnotanda: Primùm, quod secundum Aristotelem quatuor sunt, quæ sese ordinatim consequuntur; Primò res ipse, quæ cùm eædem apud omnes gentes sint, secundum naturam, non autem ad placitum dicuntur. Secundò conceptus, quos ipse Aristoteles, intellectus, animæ passiones, & rerum similitudines uocat, qui cùm & ipsi omnibus iidem sint; ad placitum minimè dici possunt. Tertiò uoces, quæ sunt notæ, siue signa tam rerum, quàm conceptum, rerum quidem mediatè, conceptum uerò immediatè; & hæc cùm non sint apud omnes eædem, ad placitum, & secundum nostram impositionem uocantur. Vltimò loco sunt scripturæ, quæ sunt notæ & signa uocum, & similiter apud diuersas gentes diuersæ sunt; quare ad placitum & istæ dicuntur (ut infra patebit). De his Boetius sic differit: *Concludendum, quoniam apud quos eadem sunt elementa, apud eos quoque, eadem uoces sunt; & apud quos eædem uoces sunt, ijdem sunt intellectus; apud quos autem ijdem sunt intellectus, apud eos quoque eadem subiecta sunt. Rursus apud quos, eadem res sunt, ijdem quoque sunt intellectus, apud quos ijdem sunt intellectus, non eadem uoces sunt, nec apud quos eadem uoces sunt, ijsdem semper literis uerba ipsa uel nomina designantur.* Hæc ille.

Secundum notandum est, quod cùm hæc quatuor ordine disponantur, Res, Conceptus, Voces, & Literæ; sint autem res primæ in ordine, literæ uerò

rò ultimæ:quæri poſſet,cur nam Philoſophus, neque à literis ad res aſcendendo,neque à rebus ad literas deſcendendo,proceſſerit, ſed potius à uocibus exordiri uoluerit?

Hanc ego quæſtionem ſic ſoluendam puto, Ariſtotelem primo loco de uocibus mentionẽ feciſſe,utpotè de his,quæ magis ad Logicum pertinẽt: & de quibus in Logica principaliter cõſideratur:res enim ad ſcientias reales,literæ uerò ad grammaticũ potius,quàm ad Logicũ ſpectare uidentur.

Cæterum, cur Ariſtoteles de his agat hoc loco, neglectis aliorum reſponſionibus,ego ſic reſpondeo, Ariſtotelem de his uerba facere, quoniam in definitione nominis,uerbi,& enunciationis uſui erunt; uoce enim ſignificatiua placitũ, in definitione nominis,uerbi & orationis: ueritate uero & falſitate,in definirione enũciationis utetur, ut paulo infra uidebitur.

Neque ignorandum eſt,ut Porphyrius air (referente Boetio) per hæc quæ nunc à Philoſopho dicuntur, arduam, ac difficilem ſedari inter antiquos quæſtionem,quæ fuit,quid eſſet propriè illud, quod uocibus ſignificatur, cum alii res, alii incorporeas quaſdam naturas(Platonis ſpecies in corporeas ſiue idæas aliquo modo æmulati) alii uerò ſenſus,& alii imaginationes ſignificari uocibus arbitrarenrur. Simul igitur Ariſtoteles ſuam circa hæc ſententiam explicar, & nonnulla breuiter docet, quæ ad dicenda plurimũ conducunt:de quibus plura ſcire cupientes,Boetiũ conſulant.

Sic etiam in uoce. Hic nota ex Ammonio uerum & falſum aliter, atque aliter eſſe in intellectu,in uoce,& in rebus. in intellectu enim eſt,ut in ſubiecto;in uoce uerò,ut in ſigno; at in rebus, ut in cauſa.

Circa compoſitionem enim et diuiſionem eſt uerum uel falſum. Cùm expoſitores alii ſatis prolixè hunc locum in ſuis commentariis explicauerint;ego ne lectores tædio afficiam,cum ſilentio præterire decreui.

Hircoceruus. Cauſa cur Ariſtoteles hoc nomen compoſitum hic poſuerit eſt, ut cum maiori uehementia argumentetur. Nam ſi in compoſito nomine per ſe ſolo aſſumpto ueritas & falſitas inueniri nõ poſſunt,tãto minus inuenientur in ſimplicibus. Et notandum ex Plinio Hircoceruum, quem τραγέλαφον Græci dicunt,eſſe animal circa Phaſidem Cholchidis inſulæ amnem naſci ſolitum,prominulam,& dependentem barbam, hircorum in morem habens,in reliquis uerò præter armi uillos, ceruo perſimile.

Vel ſimpliciter. i. uerbum præſentis temporis.

Vel ſecundum tempus. i. uerbum præteriti uel futuri temporis. Vide etiam duas alias expoſitiones apud Boetium. Sed curioſis lectoribus, & altiora ſcrutantibus fortaſſis opus eſſe uideretur, hoc in loco nonnulla de conceptibus in medium afferre, ac de eis diſſerere,quod quàm alienum ſit ab huius negotii doctrina,quamue inutile fuerit iis, quibus meus hic labor (ni fallor)profuturus eſt,ille penitus perſpiciet,qui uerba Philoſophi cõſiderabit,hoc in loco ſic dicentis. *De his uerò dictum eſt in iis quæ ſunt de anima, alterius enim hæc ſunt negotij.* Quamobrem ego hæc miſſa faciam, & enarrationibus in Procemium iam finem imponendo,ad tractatum ipſum accedam.

ALFONSI

METHODVS PRIMA.

In praesenti Prooemio hunc ordinē obseruat Aristoteles.

- PRIMO' *ea proponit, quorum definitiones assignabit in tractatu, quae sunt*
  - *Nomen.*
  - *Verbum.*
  - *Negatio*
  - *Affirmatio*
  - *Enunciatio*
  - *Oratio.*
- SECVNDO' *nonnulla praemittit pertinētia ad explicationem eorū, quibus vtitur in definitionibus assignādis tum*
  - *Nominis, uerbi, et orationis: uidelicet uocē significatiuā, ad placitum. Quare quatuor proponit quorum*
    - *Textus ibi (Sunt ergo)* *Duo sunt ex nostra impositione, cum sint apud diuersas nationes diuersa, nempe*
      - *Voces, quae sunt notae conceptuum, quos animae passiones hic appellat Philosophus.*
      - *Scripturae, quae sunt notae, & signa uocum.*
    - *ibi (quorum autem haec)* *Duo uerò secundum naturam, cum apud omnes homines sint eadem, uidelicet*
      - *Rei ipsae.*
      - *Conceptus, siue animae passiones, quae sunt simulachra, & similitudines rerum.*
      - *pro quo uide Ammonium.*
  - *ibi (Est autem quemadmodum)* *Enunciationis: & sunt uerum & falsum. Idcirco sic ratiocinatur Aristoteles; Sicuti res se habet in conceptibus, (quos intellectus uocat) ita se habet in uocibus: Conceptuum autem, alij quidem sunt ueri uel falsi, vt potè qui sunt compositi; alij uerò nec ueri, nec falsi, vt simplices. Sic itaque & uocum, composita erunt uera, uel falsa, simplices uerò nunquam.*

TEXTVS.

NOMEN igitur est uox significatiua, secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata. in nomine enim, quod est equiferus, ferus nihil per se significat, quemadmodum in oratione, quae est equus ferus. At uerò non quemadmodum in simplicibus nominibus, sic se habet in compositis. In illis enim nullo modo pars significatiua est: in his autem uult quidem, sed nullius est, separata. ut in eo quod est equiferus, hoc quod est ferus, nihil significat per se. Secundum placitum uerò, quoniam naturà, nominum nullum est, sed quando fit nota: quoniam designant & illiterati soni, ut ferarum, quorum nullum nomen est. Non homo uerò non est nomen: at uerò nec positum nomen, quo illud oportet appellare. neq; enim oratio, neq; negatio est: Sed sit nomen infinitum: quoniam similiter

militer in quolibet est, & quod est, & quod non est. Philonis autem, aut Philoni, & quæcunq; talia sunt, non sunt nomina, sed casus nominis. ratio autem ipsorum, in alijs quidem eadem: differunt autem, quoniam cùm est, uel fuit, uel erit, neq; uerum, neq; falsum est, nomen uerò semper. ut Philonis est, uel non est; nondum enim neq; uerum dicit, neque falsum.

METHODVS.

PRIMO *affert nominis definitionem talem:* Nomen est uox significatiua, secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significat separata.

ibi (in nomine enim)

Tria in hoc capite Philosophus præstat.

Secūdò duas in definitione positas particulas explicat, scilicet

- *Cuius nulla pars significat separata: quod sic probat.* — *Si pars aliqua nominis significaret separata hoc foret maximè de partibus nominis compositi: Sed huiusmodi partes nihil seiunctim significant: ut partes huius nominis Equiferus. Quare &c.*
  - *ibi (At uerò non)* — *Admonet tamen, quod partes nominis simplicis separatæ nihil significant, nec significare uidentur, partes uerò compositi, licet non significent, uidentur tamen significare.*
- *ibi (Secundum placitum.)* *Secundum placitum, & probat.*
  - *Primùm. Quod non significat nisi eo quod sit nota alterius, significat ad placitum: Nomen est huiusmodi. Nome n ergo &c.*
  - *ibi (quoniam designant)* *Deinde. Si nomen non esset uox significatiua ad placitum, omnis uox esset æquè nomen, quare soni ferarum illiterati essent nomina: consequens est falsum: ergo & antecedens.*

Tertio remouet à ueri nominis ratione tum

ibi (Non homo uero)

Nomen infinitum Na — *Quicquid rem indeterminatam significat, & tam de ente quàm de non ente fidem facit, non est uerum nomen: Huiusmodi uerò est nomen infinitum. Nomen igitur infinitum &c.*

ibi (Philonis autem)

Casus nominum, ut Catonis, Catoni, &c. Quoniam quibus addito uerbo nec affirmant nec negant, hæc a ueris nominibus excludenda sunt: Sed talia sunt nomina obliqua: Obliqua ergo nomina &c.

ANNOTATIONES.

Cùm in scibilibus duo conspiciantur ordines, doctrinæ scilicet, & naturæ, quorum ille faciliora semper, atq; ea quæ ad aliorum intelligentiam conseruat, hic uerò nobiliora, præstantioraq; præcedere iubet. Nomen profectò tam ordine doctrinæ, quam ordine naturæ, respectu uerbi præcedere debet. Nam & ad eius doctrinam confert, & dignitate ei longè præstat. Quod autem nomen ad uerbi cognitionem conducat, patebit in capite de uerbo, Vbi Philosophus ipse asserit, uerbum consignificare quandam compositionem

poſitionem, quam ſine compoſitis, ideſt ſine nominibus non eſt intellige-
re. Ex quibus licet colligere uerbo præponendum eſſe nomen , tanquam
ad eius doctrinam aliquid conferens. Quod uerò idem etiam præſtanti-
us ac nobilius ſit, manifeſtum eſt, cùm nomen ſubſtantiam ſignificet, uer
bum uerò accidens. Subſtantiam enim accidente nobiliorem ac præſtan-
8. Meta. tioremeſſe, Ariſtoteles ipſe teſtatur. Quare non mirum uideri debet, ſi no-
tex. 4. men uerbo præponatur: huius ergo definitio, prius quàm ad altiora tenda
mus, breuiter explicanda. Dicit autem Ariſtoteles. *Nomen igitur eſt uox.*
Vox hic ponitur loco generis, ut illud diſtinguat à ſonis. *Significatiua.* Po-
nitur hoc, loco primæ differentiæ, qua nomen à uocibus non ſignificatiui-
uis ſeiungitur: ut eſt blytiri, & id genus alia. *Secundum Placitum.* Dicitur i-
ſtud, ut diſtinguatur nomen à latratu canum, & gemitu infirmorum, quæ
non ex impoſitione, ſed à natura potius ſunt. *Sine tempore.* Dixit, ut ſepare-
tur à uerbo, quod conſignificabat tempus, ut ſuo loco dicetur. *Cuius nulla
pars ſignificatiua eſt ſeparata.* Hæc particula facit illud ab oratione differre, cu
ius partes ſeparatæ ſignificant, ut infra patebit.

Sed circa dicta nonnulla ſunt notanda: Primò quod Ariſtoteles meri-
1. Poſt. tò primum locum definitionis dedit uoci, tanquam generi. Genus enim,
tex. 74. ut probat ipſe alibi, primam ſibi ſedem in definitione uendicat. Deinde
uerò plura ponit loco differentiarum: Et hoc quoniam propria nominis
differentia eſt nobis ignota. Si enim nobis eſſet nota, illa ſatis eſſet in de-
finitione: cùm unius rei ſit tantùm unum eſſe, & per conſequens una tan-
tum forma & una differentia. Nec mirum eſt, ſi nobis propria nominis dif
ferentia ſit abſcondita, cùm hoc idem accidat de quàm plurium rerum dif
ferentiis, ut habemus ab Auerroe, quod & in hac definitione apparet. Tu
7. Meta. uerò conſidera eſſe diſcrimen inter iſtam definitionem, & illam ab eodem
com. 41. Ariſtotele in ſua Poetica poſitam. Hîc enim dicit κατὰ συνθήκην, ideſt ſecun
& 8 Me dum placitum, illic autem hac particula uel mutata, uel corrupta legitur
ta. com. 5 συνθετὴ ideſt compoſita: Vt definitio ſic ſe habeat. Nomen eſt uox compo
ſita, &c. Quare cum hæc particula ibi deſideretur, Excellentiſsimus meus
Præceptor Vincentius Madius huic dubitationi, an uidelicet hæc particu
la in illa definitione ſit mutata, uel potius corrupta, dupliciter reſponden
do occurrit. Primum enim dicit, uocem συνθετὴ̃ corruptè legi, quandoqui
dem κατὰ συνθήκην, ideſt ſecundum impoſitionem, uel ſeundum placitum, le
gi debebat. Eſt enim ob ſimilitudinem uocum adeo facilis lapſus, ut maxi
mè credendum ſit, textum illum eſſe deprauatum.

Aliter etiam reſpondet, nempe συνθετὴ idem ſignificare poſſe, quod κατὰ
συνδήκην. Compoſitio enim iſta de qua hic agitur, ex literis & ſyllabis con-
ſtat: at huiuſmodi uox aut actu, aut potentia ſecundum impoſitionem eſt,
de his ſatis.

Pro clariore etiam huius definitionis doctrina quædam dubia ſunt ſol-
uenda, quorum primum eſt: Cur eſt, quod Ariſtoteles nomen dum definit,
quod quidem ad placitum, ac ſecundum impoſitionem eſt, uoce ipſa pro

genere

genere utatur, quæ res naturalis est?

Ad quod respondendum puto, res arte factas, ex parte materiæ esse naturales, ex parte uerò formæ artificiales iuxta sententiam Auerrois. Quare cùm nomen artificiosum quoddam esse uideatur, id quod in ipso rationem habet materiæ, quale est suum genus, nō mirum si naturale esse uideatur, postquam materia, ut diximus in artificiosis semper est quid naturale. *2 de Anima com. 3. & 8. 2. Physic. com. 2.*

Aliud uerò quod difficultatem facere potest, est, quoniam Gemitus, Latratus, & id genus alia sunt nomina, ut cuilibet patet: nec tamen secundum placitum, siue ex impositione sunt, sed à natura potius. male ergo de nomine dicitur, quod significat secundum hominum institutum.

At facilè hoc etiam solui potest, si dicatur, ea bifariam considerari posse, uno modo pro re significante, & tunc sunt nomina, atq; ad placitum, alio uerò modo pro re significata, & ita non sunt nomina, neq; ad placitum, sed uoces naturales.

Nec minorem dubitandi occasionem affert id quod dicitur, nomen sine tempore significare: cùm multa sint nomina, quæ tempus significāt. Vt Annus, Mensis, Dies, Hora, & alia quàm plura.

Sed ista certè dubitatio nullius est ponderis, præsertim apud eos, qui rectè distinguere sciunt. Nam longè aliud est, significare tempus, sicuti faciunt nomina illam iam dicta; quàm significare cum tempore, sicuti uerba. Pro huius tamen rei intelligentia, te scire oportet, significare tempus, esse purum ac sincerum (ut ita dixerim) tempus significare, & hoc modo significant quàm plura ex nominibus: At significare cùm tempore, est significare præter tempus, aliquam uel actionem uel passionem circa tempus contingentem, ut consideranti manifestum est.

Præterea dubitandi quoque locum præbet ultima huius definitionis particula. Siquidem absurdum esse uidetur, aliquam partem nominis separatam per se nihil significare, cùm Equiferi partes seiunctas etiam per se nihil significare, nemo ignoret; quando & Equus per se aliquid ostendere uidetur, & similiter, Ferus.

Hoc dubium non maiori cum labore, quàm & superiora tolli potest; cum eius solutionem ex Aristotelis dictis habere possimus, dicit enim: *Ferus nihil per se significat, quemadmodum in oratione quæ est equus ferus.*

Ex his uerbis colligi potest, partes nominis compositi significare quidem aliquid, illud tamen non esse partem eius, quod ostendebatur in compositione. Quæ responsio cum satis difficilis sit, paulo diligentiore declaratione indiget. Rem ergo altius repetendo, dico, Nomina composita à duobus conceptibus sumi, ut exempli gratia, Equiferus ab Equi & Feri cōceptu: cùm autem composita nomina iam significant, non amplius duos, sed unum tantùm simplicem designare. Quare nominum compositorum partes separatæ statim indicant quidem aliquid, ut puta partem eius à quo sumptæ fuerunt, cum plures essent conceptus; non autem significant partem eius, quod demonstrabant in compositione; cum illud erat conceptus quidam simplex, ut dictum est.

Sed hic posset aliquis quærere, Cur nam Aristoteles illam differentiam *Cuius nulla pars significatiua est separata*, ut potè nomini & uerbo communem, non præposuerit illi differentiæ *Sine tempore*, qua nomen à uerbo seiungitur? quandoquidem magis congruus ordo est, ut communia propriis præponantur, quam e contra.

Hanc difficultatem tollit eximius uir Vincentius Madius in commentariis nuper citatis, dicens Aristotelem hunc ordinem non sine consilio obseruasse. Cũ enim in postremis de oratione tractaturus esset Philosophus, etiam illam differentiam, qua nomen ab oratione distinguitur, ultimo loco magis aptè ponendum esse duxit.

Equiferus. Nota in codicibus græcis legi κάλλιππος καὶ ἐπακτρόκελες idest Callippos & Epactroceles, quorum primum est ab equorum pulchritudine, alterum uerò species est nauigii, cuius nomen secundum Suidam à duobus nauigiorum nominibus compositum est, uidelicet ἐπακτρὶς uel ἐπάκτριον, & κέλης. Sed nostri horum loco transtulerunt Equiferus, quoniam compositiones græcæ, latinis non aptè respondent.

Sed quando fit nota .i. signum, quia nomen ex sui natura non significat nisi quatenus ponitur ad significandum. oportet igitur ut ad significatum referatur, & tunc dicitur nota uel signum.

Illiterati soni. i. qui scribi non possunt, ut cùm perstrepunt feræ. Sunt autem feræ animalia ferocitatem habentia, & minimè mansueta. ut Leones, Lupi, Vrsi, & similia.

Ratio autem ipsorum in alijs quidem eadem est. Vult dicere, quod definitio nominis superius tradita, competit etiam his nominibus cùm infinitis tum obliquis. Addit tamen, quod nomina hæc infinita & obliqua à ueris nominibus differunt, quia si huiusmodi nomina uerbo Est, uel Fuit, uel Erit addantur, non affirmant, nec negant: quod tamen haud dici potest de rectis & infinitis nominibus.

Nota etiam ex industria Aristotelem exemplum posuisse de uerbo substantiuo, quoniam impersonalia uerba cum obliquis nominibus uerum ac falsum constituunt: ut Pænitet Socratem, & similia. Ex quibus collige perfectam ueri nominis definitionem talem: Nomen est uox significatiua, secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata, atq; addita uerbo substantiuo, uerum uel falsum constituit. Vel ut alii uolunt: Nomen est uox significatiua recta & finita, secundum placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata. Ipse tamen Aristoteles, ut à communiori ac uniuersaliori nominis definitione exordiretur, statim per initia capitis definitionem illam posuit, quam postea in processu polire, ac ad uiuum resecare uoluit. Et hæc pro annotationibus huius capitis dicta sufficiant, de quibus plura desiderans, alios expositores cõsulat.

TEXTVS

TEXTVS.

VERBVM *autem est, quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & est semper eorum, quæ de altero prædicantur, nota. Dico autem quod consignificat tempus. ut ualetudo quidem nomen est: ualet uerò uerbo. consignificat enim nunc esse: & semper eorum quæ de altero dicuntur nota est, ut eorum quæ de subiecto, uel in subiecto sunt. Non ualet autem, & non laborat non uerbum dico: consignificat enim tempus, & semper de aliquo est. Differentiæ autem huic nomen positum non est: sed infinitum uerbum sit: quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est. Similiter autem & ualebit, & ualebat non uerbum est, sed casus uerbi. Differunt autem à uerbo, quòd hoc quidem præsens consignificat tempus, illa uero id quod circumcirca est. Ipsa igitur secundum se dicta uerba nomina sunt, & significant aliquid: constituit enim qui dicit intellectum, et qui audit, quiescit. Sed si est uel non est, nondum significat. neque enim signum est rei esse uel non esse: neque si ipsum ens dixeris nudum, ipsum enim nihil est, consignificat autem compositionem quandam, quam sine compositis non est intelligere.*

METHODVS.

Hic quatuor nos Aristoteles docet.

PRIMV'M *uerbi definitionem; ut* uerbum est quod consignificat tempus, cuius pars nihil significat seorsum, & semper est eorum, quæ de altero prædicantur nota.

Secundum cum definitionis partes dilucidet, scilicet

Consignificare tempus. Nam quod præter actionem & passionem, aliquam temporis differentiam connotat, tempus consignificat: At huiusmodi est uerbum. licet enim nomina à uerbis orta, ut ualetudo, actionem vel passionem significent, non tamen significant temporis discrimen aliquod: Verbum igitur &c.

ibi (Et semper eorum)

Esse semper eorum, quæ de altero prædicantur notam: Quandoquidem prædicata tam essentialiter, quam accidentaliter prædicantia, semper de altero prædicantur. Verbum autem semper est nota prædicatorum cum essentialium, tum accidentalium: Verbum ergo nota erit eorum, quæ de altero prædicantur.

ibi (Non ualet)
Tertium cum à uero uerbo auocet

Verbum infinitum; ut non laborat: Siquidem quod exiſtit pariter & in eo quod eſt, & in eo quod non eſt, adulterinum eſt uerbum: Sed uerbum infinitum eſt huiuſmodi: Verbum ergo infinitum &c.

ibi (Similiter autem &c.)

Verbum obliquum, ut laborabat: Omne enim uerbum tempus præſens conſignificat. Obliqua autem uerba, non conſignificant tempus præſens: Non ſunt ergo uerba.

ibi (ipſa igitur)

Quartum, nominis ac uerbi collationem oſtendit: Nam ut nomen per ſe ſumptum, ita & uerbum, aliquid ſignificat & intellectum conſtituit. Hoc tamen de prima intellectus operatione intelligi debet, de ſecunda autem nequaquam. Non enim uerbum per ſe ſumptum uel affirmat uel negat: quoniam ſi uerbum aliquod hoc præſtaret, hoc maximè ſubſtantiuum eſſet. Sed hoc licet ſignificet quandam compoſitionem, illa tamen ſine extremis minimè intelligi poteſt. Et hoc uoluit philoſophus cum dixit: Quam ſine compoſitis non eſt intelligere.

ANNOTATIONES.

DE ordine huius capitis nihil attinet dicere, poſt quam ex ſupradictis apparet, qua ſerie uerbum ſit collocãdum, nempe immediatè poſt nomen. Quare ordinis ratione præſuppoſita ad ea accedemus, quæ circa textum annotanda ſunt. dicit ergo Ariſtoteles.

Verbum autem eſt quod conſignificat tempus. Quod dictum eſt ut diſtinguatur à nomine. Cur autem dicat προσσημαῖνον. i. conſignificans, & non ſimpliciter σημαῖνον .i. ſignificans; iam dictum eſt in capite de nomine: conſignificare enim tempus, eſt ſimul cum tempore aliquid denotare, utputa actionem aliquam uel paſsionem.

Cuius pars nihil ſignificat ſeorſum. Additur hoc, ut ab oratione ſeparetur. Hicque ſi diligenter attendas apparet Ariſtotelem breuitatis ſtudioſum prætermiſiſſe reliquas omnes particulas, quæ ſunt nomini ac uerbo communes. tanquam in nominis definitione poſitas, hac una excepta.

Cuius nulla pars ſignificatiua eſt ſeparata. Quare dubitari poſſe uidetur, cur eam ſolam hic repetere uoluerit? quæ breuitati operam danti, unà cum cæteris uidebatur eſſe prætermittenda?

Bifariam ab expoſitoribus hoc dubium ſoluitur. Primò enim aiunt græci, quod cùm orationes ſint duplices, quòd quædam componantur ex nominibus & uerbis: Vt homo eſt albus, & quædam ex uerbis tantùm: Vt ambulare eſt moueri. In nominis definitione particula iſta poſita fuit, ut nomen ſeiungeret ab illis orationibus, quæ ex nominibus & uerbis cõſtruuntur: hic uerò eadem reuocatur, ut uerbum ab orationibus quæ ex uerbis tantùm componuntur, diſtinguat. Latini uerò alio modo ad hoc dubium reſpondẽt, nempe quod cùm uerbum maiorem habeat cognationem cum oratione, utpotè exiſtens pars eius formalis, quàm nomen quod eſt pars materialis; ne quis crederet partes uerbi per ſe ſumptas, ſicuti & orationis, aliquid ſignificare, idcirco illam repetere uoluit. Adde quod Philoſophus dicturus eſt in fine huius capitis (de uerbo loquendo) illud ſignifica-

re

re quandam compositionem, quam sine compositis non est intelligere. Vnde apparet uerbum ipsum maximam habere cum oratione collationem.

Sed hinc oritur alia dubitatio non minus negotium faciens, quàm illa. Si quidem Aristoteles in poeticis, definito iam nomine, & his omnibus positis, quæ eius essentiam explicant, accedens statim ad definiendum uerbum, ea omnia ponit, quæ nomini & uerbo conueniunt; & quæ etiam in nominis definitione posuit, igitur uel hic uel ibi male.

Huic difficultati respondendo, sic dico, Ex his quæ in prolegomenis dicta sunt patere, quid in hac re sit dicendum. Ibi enim cùm de doctrinæ genere loqueremur, dictum est, Aristotelem in omnibus suis operibus, maximè autem in hoc libro breuem esse & concisum. Quare nemini mirum uideatur, si hoc loco præcipuè, cum ad Logicos loquatur, qui adeo ad normam sermonem suum conferunt, ut ne uerbum quidem unquam redundare uideatur, maximè breuitati operam dederit. In Poeticis autem licet ipse sit breuitatis amator, tamen cùm ad Poetas uerba faciat, qui sermones suos magis exaggerare, atq; amplificare consueuere, quàm Logici, non esse inconueniens existimauit, in hunius rei definitione, quædam repetere, quæ in alterius rei definitione prius dicta fuerunt. Atq; in hoc eo maiori uenia dignus est Philosophus, quòd in uerbis illis reuocandis uidemus illum se excusare, cùm subiungit: *Quemadmodum de nomine diximus.*

Et est semper eorum quæ de altero prædicantur nota. Hæc uerba diuersimode ab expositoribus interpretantur: aliqui enim dixerunt, quos plerique ex recentioribus sequuti sunt, ut Pomponatius & alii, Aristotelem hoc dixisse, ut ostenderet uerbum semper esse eorum quæ de altero prædicantur, copulam; & per hoc uerbum à participio differre, quod & si significat tempus, nunquam tamen connectit prædicatum subiecto. Quare per notam, isti intellexerunt copulam. Quod quantùm à ueritate absit, facilè cernunt, qui dictionis σημεῖον uim intelligunt. Signum enim uel notam semper, copulam uerò nunquam significare reperitur.

Est autem alia istorum uerborum expositio apud græcos expositores, quos etiam aliqui ex latinis imitati sunt, Vt cùm dicit *Et est semper eorum quæ de altero prædicantur nota*, idest *Signum* ita exponant, ut sit sensus, quod uerbum semper se teneat ex parte prædicati, tanquam eius signum: & hoc inquiunt dicit Aristoteles, ut uerbum à nomine seiungat & participio, quæ indifferenter se tenent & ex parte prædicati & ex parte subiecti, ut consideranti manifestum erit.

Sed hæc opinio præbuit nonnullis occasionem hæsitandi. Primùm enim diceret aliquis, non uideri consonum rationi, uerbum semper se habere ex parte prædicati: quandoquidem fieri possunt orationes, in quibus uerbum etiam ex parte subiecti collocabitur: Vt ambulare est moueri.

Huic respondent tam græci, quàm latini expositores, uerba infinitiui modi habere uim nominum, unde eiusmodi uerbis non minus quàm nominibus ipsis, articuli præponuntur apud græcos. Aliter tamen ego hanc obie-

ctio-

ctionem dilui posse arbitror, dicendo Aristotelem hic loqui de uerbo substantiuo, tanquam de principali & maximè proprio. Verba enim adiectiua (ut cuilibet notum est) in substantiuum, ac eorum participia resoluuntur. Sed eligat sibi unusquisq; pro suo arbitrio utranlibet ex his duabus responsionibus, de quibus sanè cuiuis suum iudicium liberum est.

Verum hic alia dubitandi occasio se se iam offert: Nunquid uerbum sit, uel non sit pars propositionis, cùm dictum iam sit, ipsum ex parte prædicati poni, & ita partem ipsius esse. Cuius tamen oppositum dixisse uidetur Aristoteles, cùm terminum definiens, dixit. *Terminum autem uoco in quem διαλύεται propositio, ut prædicatum & de quo prædicatur, aut apposito, aut diuiso esse, aut non esse.*

Vbi uidetur asserere, subiectum tantum & prædicatum parte esse propositionis, ipsum uerò uerbum esse quid additum & appositum.

Huius dubitationis facilis est solutio, distinguendo partes propositionis quæ sunt aut materiales, aut formales. Loquendo igitur de materialibus, fatendum utique est uerbum non esse partem propositionis. At si sit sermo de formalibus, tantum abest, ut uerbum non sit pars formalis ipsius propositionis; ut firmiter statuendum sit, illud totam eius formam esse: cum omnis uis, facultas, & spiritus eius à uerbo proficiscatur. Aduerte tamen hoc esse intelligendum de uerbo syncathegorico, siue substantiuo. Nam uerbum cathegoricum, siue adiectiuum tam formalis, quàm materialis pars ipsius propositionis dici potest.

Quod si quis quæreret, cur est quod cum uerbum medium sibi locum in propositione uendicet, ipsum dicatur magis se tenere ex parte prædicati, quàm subiecti? Huius interrogationis responsio, non oscitanter legenti ea quæ iam dicta sunt, se ipsam exhibebit, eo scilicet in loco, ubi dictum est, uerbum esse partem formalem propositionis. Cum enim prædicatum, ut potè quod propositionem limitet, magis ad naturam formæ accedat, quàm subiectum, meritò sanè ea pars sibi uerbum adsciscit.

Valetudo &c. Quasi dicat nomen illud, ualetudo, significat tantum actionem, cum sit nomen, Valet uerò uerbum, significat actionem illam factam esse in tempore præsenti.

Non uerbum est, sed casus uerbi. Circa istam clausulam dubitare contingit: Cum apud Grammaticos uerba casus non habeant, sed tantum modos & tempora, cur Aristoteles hoc loco dicat, non uerbum est, sed casus uerbi? Ad hoc igitur respondendo, dico, aliter à grammaticis, & aliter ab Aristotele casus accipi: Grammatici enim eos tantum casus esse intelligunt, qui in nominibus à recto nomine cadunt: sed Aristoteles & alij antiquores, per casus intelligunt uocum ipsarum transfigurationes: sicuti apud Aristotelem de denominatiuis in ante Prædicamentis loquentem, uidere est, cum dicit. *Denominatiua uerò dicuntur, quæcunque ab aliquo solo differentia casu secundum nomen habent appellationem. Vt à grammatica gramaticus, à fortitudine fortis.* Quod ipse quoq; *Boetius breuiter admonet his uerbis. Casus enim antiqui nominabant, aliquas nominum*

minum transfigurationes,ut a iustitia iustus,à fortitudine fortis,hac igitur nominis transfiguratio casus ab antiquioribus uocabatur. Clarum est autem Boetium hæc à græcis desumpsisse. Et Aristoteles in Topicis, ubi locos affert, qui à casibus eliciuntur, in hac eadem significatione casus accipit. 1. Top. cap. 13.

Illa uerò id quod circum circa est .i. significat tempus uel præteritum, uel futurum.

Ipsa autem secundum se dicta uerba nomina sunt. Nota Aristotelem quandoque sumere uerbum pressius,ut ab omnibus alijs partibus orationis distinguitur, quod fecit in capite de nomine: quandoq; uerò ut subse complectitur uerbum,sicuti in præsenti loco, aliquando enim adeo latè & diffusè apud eum nomen capitur, ut omnes simplices dictiones comprehendat, sicuti adnotarunt græci interpretes in ante prædicamentis, cùm dicit: *Aequiuoca dicuntur, quorum nomen solum* &c. Sed de his plura cùm dabitur occasio.

T E X T V S.

ORATIO autem est uox significatiua, cuius partium aliqua significatiua est separata,ut dictio, sed non affirmatio,uel negatio.Vt homo aliquid significat,sed non quod est aut non est: sed erit affirmatio uel negatio,si quid additum fuerit. Sed non hominis syllaba una. neque enim in eo,quod est sorex,rex significat sed uox nunc est solum. In duplicibus uerò significat quidem aliquid,sed non secundum se, quemadmodum dictum est.Est autem oratio omnis quidem significatiua, non autem sicut instrumentum: sed quemadmodum dictum est, secundum placitum. Enunciatiua uerò non omnis: sed in qua uerum uel falsum est. non autem in omnibus inest. Vt deprecatio oratio quidem est,sed neq; uera, neq; falsa. Cæteræ igitur relinquantur. Rhetoricæ enim,uel Poeticæ conuenientior est consideratio: enunciatiua uerò præsentis est speculationis. Est autem una prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio:aliæ uerò omnes coniunctione una. Necesse est autem omnem enunciatiuam orationem, ex uerbo esse, uel casu uerbi. etenim hominis ratio, nisi addatur, aut est,aut fuit,aut erit,aut aliquid huiusmodi,nondum oratio enunciatiua est:

E quoniam

quoniam unum quiddam est, & non multa animal gressibile bipes. non enim eò quo propinquæ partes dicuntur, una erit. est autem alterius hoc tractare negotij. Est autem una oratio enunciatiua, quæ unum significat, uel coniunctione una: plures autem, quæ plura, & non unum, uel inconiuncta. Nomen igitur, uel uerbum dictio sit solum: quoniam non est dicere sic aliquid significantem, uoce, ut enunciare, uel aliquo interrogante uel non, sed ipso sponte proferente. Harum autem hæc quidem simplex est enunciatio, ut aliquid de aliquo, uel aliquid ab aliquo: hæc autem ex his composita, uelut oratio quædam iam composita. Est autem simplex enunciatio, uox significatiua de eo quod est aliquid, uel non est, quemadmodum tempora diuisa sunt. Affirmatio uerò est enunciatio alicuius de aliquo. Negatio uerò enunciatio alicuius ab aliquo. Quoniam autem enunciare est, & quod est, non esse: & quod non est, esse: & quod est, esse: & quod non est, non esse: & circa ea quæ extra præsens, tempora sunt, similiter: omne utique contingit quod quis affirmauerit, negare; & quod quis negauerit, affirmare. Quare manifestum est, quod omni affirmationi opposita est negatio, & omni negationi affirmatio. Et sit hoc contradictio, affirmatio & negatio oppositæ. Dico autem opponi eiusdem de eodem, non autem æquiuocè, & quæcunque cætera talium contra sophisticas determinauimus importunitates.

METHODVS.

Declaratis orationis partibus, nunc quæ ad astruendam enunciationem accommodata uisa sunt colligit, definitioneq́ ipsam orationem declarat.

- *Hic duo ostendit.*
  - *Primum orationis definitionē, quare*
    - *Eam proponit:* ut oratio est uox significatiua, cuius partium aliqua separata significat, ut, dictio, non ut affirmatio uel negatio.
    - *Explicat particulam illam, ut dictio, Nam hoc nomen, homo, non affirmat nec negat, nisi illi addatur esse, uel non esse. atque eo minus eius syllabæ.*
    - *Dubium remouet, ne quis credat orationem non esse ad placitum, sed naturalem. ut Plato in Cratylo existimauit, ideo eam esse ex institutione & non ut instrumentum asserit.*
  - *Imperatiua. ut Accipe, daq́, hoc Portio.*
  - *Interrogatiua. ut Quo uia ducit in urbem.*
  - *Vocatiua. ut O qui res hominumq́, deumq́, æternis regis imperijs.*
  - *Deprecatiua. ut Iupiter omnipotens precibus si flecteris ullis.*
  - *Hæ cùm non affirment nec negent, non considerantur à Logico sed à Rhetore & Poeta.*

ibi

- *Secundum eiu partes, quasiūt quāq;*
- *Enūciatiua, quæ ad logicum spectat, quatuorq; hic Aristoteles ponit*
  - *ibi (Enunciatiua uerò non omnis)* *Primò, eam definit his uerbis:* Oratio enunciatiua est in qua uerum uel falsum reperitur.
  - *Secūdò, eiusdē enūciationis duas ponit diuisiones, quarum*
    - *Prima est, Enūciatio est uel*
      - *Una simplex.*
      - *Una cōiūctione.*
      - *Affirmatiua.*
      - *Negatiua.*
    - *Secunda est, Enunciatio est uel*
      - *Una*
        - *Sīpliciter: vt homo est animal.*
        - *Coniunctione: vt si dies ē, lux est*
      - *Plures, hacq; vel unia*
        - *Plura, et nō unū significat: vt cāis est.*
        - *Su plures, sine coniunctione: vt Plato disputat, Socrates legit.*
    - *ibi (necesse est autem.) At quia fortè quis crederet illā esse simplicē enunciationē, in qua nō ponitur uerbū: est, vt in definitionibus apparet, cùm uerbū cōpositionem significet. Ideo addidit necesse esse, est reperiri; nam si definitioni id non addas, nullo pacto enunciationem conficias.*
    - *Rursus quis diceret definitio est fortasse una enunciatio, quia eius partes sunt propinqua.*
    - *Respōdet quod nō. Sed quo modo sit una hic non determinat.*
    - *ibi (nomē igitur uel uerbū) Ponit discrimē inter enūciationem et simplices dictiones, nā ista non affirmāt, nec negāt nisi praecedente interrogatione: vt, quis legit in scholis? respondeaturq; Magister. illa uerò siue aliquis interroget siue non, per se affirmat uel negat.*
  - *Tertiò, primam enūciationis diuisionē explicat. hocq;*
    - *ibi (Harū autē hac)* *Primò, quo ad duo prima mēbra; quare dicit illam enunciationem*
      - *Quæ simpliciter affirmat uel negat, esse simplicem.*
      - *Quæ componitur ex simplicibus, esse unam coniunctione.*
    - *ibi (Affirmatio uerò) Secūdò, quo ad duo membra posteriora, ideo dicit ibi (Quoniā autem)*
      - *Affirmationē esse enunciationē alicuius de aliquo.*
      - *Negationē uerò enūciationē alicuius ab aliquo.*
  - *Quartò, de partium enūciationis oppositione breuibus agit. Nam*
    - *Primò ostēdit omni affirmationi opposita esse negationē, et è contra: Quoniā omnis affirmatio quā cōtingit negari, habet negationem sibi oppositam, similiter et negatio, affirmationem. Sed omnē affirmationem contingit negari, & omnem negationem affirmari. Omni igitur affirmationi &c.*
    - *ibi (& sit hoc contradictio)* *Secundò, oppositioni inter affirmationem & negationē nomen imponit, cùm inquit.* Et sit hoc cōtradictio affirmatio & negatio oppositæ.*etc.*

1. Poſt. tex. 179. CVM ſubiectum in ſcientijs ſecundum Ariſtotelem ſit id, cuius principia, partes, & paſſiones conſiderantur: & Philoſophus hactenus de nomine & uerbo tanquam de principijs enunciationis egerit, quam huius libri ſubiectum eſſe dictum eſt; non ab re nunc ad enunciationis partes ſubiectiuas, & paſsiones examinandas ſe confert. De oratione uerò (ut arbitror) duplici de cauſa hic agit, cum quia genus enunciationis eſt, tum quia diuiſa ea in ſuas ſpecies, cæteris relictis tanquam ad Logicum non attinentibus, de enunciatiua tantùm hoc loco dicere ſatis eſſe duxit, quam diligenti examine pertractat.

Itaq; uerba ipſius non oſcitanter conſideranda ſunt.

Oratio eſt uox. Vox hic ponitur loco generis, ut in capitibus de nomine & uerbo. Sed circa hoc bifariam dubitatur: Primùm quidem quoniam uidetur Ariſtoteles recta ſibi diametro contradicere hic, & in libro Prædicamentorum capite de quantitate, cùm nunc dicat orationem eſſe uocem, ibi uerò illam ponat ſub genere quantitatis diſcretæ.

Deinde uidetur abſurdè dictum, orationem eſſe uocem, cùm ad quamlibet orationem conſtruendam neceſſariò plures uoces requirantur:

Ad primam dubitationem nonnulli reſpondent, quod cùm oratio multis modis ſumi poſsit, habita orationum diſtinctione, non erit impedimento dicere eam ſub diuerſis generibus contineri. Siquidem capi poteſt oratio & ut ſcripta, & ut in mente & ut in uoce, & ut menſura intrinſeca orationis prolatæ: quarum primam aiunt ſub genere ſubſtantiæ collocari, uel ſaltem ſumi pro illo aggregato per accidens ex atramento & figura: Secundam uerò ſub prima ſpecie qualitatis, tertiam ſub tertia ſpecie qualitatis, & eſt uox, quartam uerò ſub genere quantitatis diſcretæ. Vnde patet Ariſtotelem in Prædicamentis accepiſſe orationem pro intrinſeca menſura orationis prolatæ, & ideo dixiſſe eam eſſe quantitatem diſcretam, hic uerò pro oratione prolata, & ob id ſtatuiſſe eam eſſe uocem. Ego tamen eam ſic ſoluerem, dicens uocem non re uera eſſe genus orationis, ſed materiam potius, cùm uerum eius genus ſit quantitas, poni tamen hic loco generis, quia (ut ſupra diximus) materia in rebus artificialibus generi proportione reſpondet; quare dicendum puto Philoſophum in Prædicamentis uero orationis genere uſum fuiſſe: hic uerò, materiam loco generis accipere.

Ad alteram uerò ita reſpondendum eſſe arbitror: quod licet in oratione plures reperiantur uoces, ſunt tamen una uox unitate uerbi, ſicuti etiam de Syllogiſmo dici ſolet, quod ſit oratio, non autem orationes, cùm ille orationes ſint una oratio, unitate medij termini.

Significatiua. Conſideratione dignũ eſt, cur nã in definitione orationis hæ duæ particulæ ponãtur, uox ſcilicet, & ſignificatiua, cùm in definitione nominis eædẽ fuerit poſitæ, in definitione autẽ uerbi breuitatis cauſa omiſſæ?

Ad hanc hæſitationem tametſi uariæ reſponſiones poſſent afferri, aliis tamen omiſsis, ſic puto dicendum. Ariſtotelem has particulas hoc loco eam ob cauſam iteraſſe, quòd orationis ſignificatio, alia eſt à ſignificatione nominis

minis & uerbi. Oratio enim significat intellectum compositum, nomina uerò & uerba intellectum simplicem. Sed hæc responsio aliam dubitationem excitat, cur non etiam addiderit, ad placitum? Ad hoc diuersimodè respondere possumus; Vel quod ambitu uerborum contractu & breui usus Aristoteles, hoc omiserit; Vel quod latenter id significasse uidetur, cùm dixit, partes orationis significare, ut dictiones; Vel quia id explicauit, ubi ait: *Est autem oratio omnis quidem significatiua, non autem sicut instrumentum, sed quemadmodum dictum est, secundum placitum.*

Cuius partium aliqua &c. Cùm Philosophus hic dicat partes orationis significare, ut dictiones, non autem affirmare, uel negare, uideri posset hoc alienum à rei ueritate, siquidem plures orationes sunt, quarum partes uel affirmare, uel negare uidentur, ut si dies est, lux est; nam utræque partes uidelicet, & dies est, & lux est, uidentur affirmare: hoc idem patet in orationibus hypotheticis negatiuis. Porphyrius & qui eum sequuti sunt, aiunt, cùm oratio sit genus analogum, quod per prius prædicatur de categorica, per posterius uerò de hypothetica, Aristotelem hoc loco definisse tantùm orationem categoricam, ut pote primùm analogatum, non autem orationem in communi. & quoniam partes categoricæ propositionis neq; affirmant neq; negant, idcirco putant eum dixisse. *Cuius partium aliqua* &c. At hæc responsio mihi nullo pacto probatur, siquidem Aristoteles orationem sic definitam diuidit in categoricam & hypotheticam, quam appellat unam coniunctione, uel compositam, cùm dicit: *Est autem una prima oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio, alia uerò omnes coniunctione una.* & paulo infra: *Est autem una oratio enunciatiua, quæ unum significat, uel coniunctione una* &c. & in eodem capite: *Harum autem hæc quidem simplex est enunciatio, ut aliquid de aliquo, uel aliquid ab aliquo. Hæc autem ex his composita, uelut oratio quædam iam composita.* Sed hæc omittamus, cùm satis facilè cuilibet persuaderi possit, Aristotelem orationem in communi definiuisse, non autem categoricam tantum: & cum Ammonio, Alexandro, & multis aliis expositoribus dicamus, quòd cum Aristoteles hoc loco orationem definiuerit in uniuersali, particulam illam in eius definitione posuit, in qua omnes orationes tam categoricæ, quàm hypotheticæ conueniunt, atq; ea est, quod partium eius quædam significant, ut dictiones. Nam in omnibus orationibus huiusmodi partes reperiuntur, cum omnes constent ex nomine & uerbo, ut infra patebit ex Aristotele: non tamen in omnibus inueniuntur partes, quæ affirmant, uel negant, quia hoc tantum in hypotheticis locum habet. Quamobrem ipse dedita opera, dixit; *Cuius partium* &c. non autem dixit, *Omnes.* Cum ut excluderentur partes illæ orationis hypotheticæ affirmantes, & negantes, tum etiam coniunctiones, præpositiones, interiectiones, & huiusmodi. Sed de his satis.

Præterea alia dubitandi occasio se offert, ex his uerbis. *Sed non ut affirmatio uel negatio.* Nam hæc particula significat idem quod, dictio, ergo alterutrum superfluè apposuit.

Hanc

Hanc quæstionem soluendo, omissis aliorum responsionibus, dico, ultimam particulam esse appositam ad expositionem prioris: Quæ nulla earum superflua uidetur, cum hoc facere liceat maioris declarationis causa.

Non autem sicut instrumentum. Hac in parte Aristoteles in Platonem in Cratilo inuehi uidetur, qui existimauit, orationes esse secundum naturam, nō autem ex nostra impositione. Argumentum autem, quo ductus Plato id credidit, tale fuit. Virtutis autem interpretatiua naturalis est, atq; eius instrumentum est oratio: ergo oratio est instrumentum naturale. Cuius ratiocinationis minorem esse falsam, contendit Aristoteles. Nam uirtutis interpretatiuæ instrumentum non est oratio, sed, ut prolixa oratione ostēdit Ammonius in suis commentariis, eius instrumenta sunt Pulmones, aspera arteria, lingua, ac dentes, quibus uoces significatiuæ formantur. Oratio autem potius afflatus, ac signum dici debet quàm instrumentum. De his ergo plura cupiens consulat Ammonium.

Cætera igitur relinquantur. rhetoricæ enim uel poeticæ. &c. Hic posset aliquis obiicere, Aristotelem non pertractasse de huiusmodi orationibus in libris Rhetoricæ, & Poeticæ. Sed huic obiectioni obuius est Ammonius, dicens ad Poeticam uel Rhetoricam non ex sese spectare agere de istis orationibus, sed quoniam illæ artes, orationum communes uocantur, sic dictum esse. Sed hic oritur noua quæstio, cùm Logicus sit artifex quidam communis, uidetur ipsius munus esse de omnibus orationibus disserere. Hanc quæstionem soluendo, dicendum est; Logicum esse artificem quendam communem, quantum ad propositum attinet, quia considerat omnes orationes, in quibus uerum uel falsum reperitur; non tamen de omnibus tractare, cùm reliquæ ad demonstratiuam scientiam non ordinentur.

Enunciatiua uerò præsentis est speculationis. Ex hoc loco quiuis facilè colligere potest, quod nam sit subiectum huius libri; quia dicitur, quod præsens speculatio, est de enunciatiua oratione.

Est autem una prima oratio enunciatiua affirmatio &c. Nota hoc loco arduam ac difficilem quæstionem inter græcos expositores esse ortam, uidelicet nunquid enunciatio genus sit affirmationis & negationis, uniuocum uel analogum. Ex una enim parte tenet Alexander Aphrodisiensis illam esse genus analogū, hoc argumēto ductus. quod cùm Aristoteles hic dicat affirmationem esse primam enunciationem, deinde uerò negationem sequi, satis apparet ordinem secundum prius & posterius inter eas reperiri. ergo enunciatio earum genus analogum non autem uniuocum. E' contra uerò Ammonius & Ioannes grammaticus constanter asserunt, enunciationem esse genus uniuocum. Sed, quibus argumentis muniti, hoc adeo firmiter statuant, paulo infra patebit, ubi huius rei ueritas determinabitur.

Necesse est autem omnem enunciatiuam orationem ex uerbo esse &c. Hic ferè omnes expositores hanc mouent quæstionem: Cur non additum sit, & ex nomine uel casu nominis. Quam obiectionem hic locum non habere satis manifestè apparet ex nostris methodis, si uerba ista sic intelligantur ut nos exposuimus.

Animal

Animal gressibile bipes. Hanc hominis definitionem imperfectam esse notum est, quæ tamen perficitur addita dictione, Rationale. Plato autem aliquando eam perfectam fore existimauit, si adderetur dictio, Implume. quod Diogenes Cynicus audiens gallum gallinaceum implumem protinus effectum, pleno tunc cùm Plato doceret auditorio, in mediam proiiciens scholam, hic inquit Platonis homo est.

Est autem alterius hoc tractare negocij. Hæc quæstio in septimo & octauo Metaphisices ab Aristotele terminatur; ubi ostendit Philosophus in definitione poni genus, tanquam potentiam, & unam differentiam tãquam actum. Nam licet sæpe plures differentiæ in una definitione ponantur, una tamen est, quæ ultima dicitur, & hæc sola est in actu, reliquæ uerò omnes sunt in potentia: & quoniam ex potentia & actu fit unum per se, ut auctor est Aristoteles, qui dicit, quod huius rei alia non est ulterius quærenda ratio. Idcirco dicitur quod quamuis definitio ex pluribus partibus componatur, unum tamen & non plura significat. Ex quo patet ueteres Aristotelis interpretes non malè sensisse, cùm quadragesimum secundum septimi Metaphysices contextum exponentes dicant, quod Aristoteles dubitationem de ueritate definitionis tactam in secundo posteriorum soluit quia dixit ibi, de hac dubitatione loquens; *Inquantum in analyticis de deffinitione non est dictum.* Neque est quod aliquis nobis se opponat asserens, tantum abesse, ut in secũdo Poster. Philosophus mouerit hanc quæstionem, quod ne in tota quidem logica ullum locũ inuenire licet, præter hunc, qui in hoc libro habetur; ubi Aristoteles, aut tacitè, aut implicitè eam innuere uoluit, atq; hinc colligat librum hunc Analyticum esse uocandum; quoniam statim consequeretur de Demonstratione & syllogismo non rectè inscribi Priora ac Posteriora Analytica: si inter libros Analyticos etiam hic liber sit connumerandus, qui ante Priora legitur. Sed quanquam res sit manifesta, tamen ut adhuc melius intelligatur, considerandus est locus ille in Metaphysicis. Atque in primis animaduertendum, quod in textu quem sequitur Alexander, qui translatus tantum circumfertur, cum græcus impressus non extet, sic legitur: *Nunc autem primum id dicamus oportet, quod in resolutiuis de definitione non diximus. ea namque dubitatio, quæ ibi non pertractata est.* &c. Alii uerò omnes expositores, postremam clausulam huius textus citatam affirmatiuè legunt; quemadmodum etiam in græco codice ipsius Aristotelis legitur, cuius uerba hæc sunt. *Nunc autem primo dicamus quatenus in analyticis de definitione non est dictum, dubitatio itaque, quæ in illis dicta est.* &c. Hunc textum quem omnes interpretes sequuntur, præter Alexandrum, ego neq; explodendum, neq; omnino approbandum censeo: siquidem non minus uerisimile est Alexandrum tãquam primum, & antiquissimum Aristotelis interpretem, habuisse legitimum, & incorruptum exemplar: quàm posteriores omnes suo unanimi consensu contra Alexandrum, rectè legere affirmatiuè. Præsertim cum facillimus fuerit lapsus, inter transcribendum per incuriam omisisse dictionem μὴ .i. non, quæ fortassis in Alexandri libro sic scripta fuit: *Dubitatio*

2. de Anima.

tatio

tatio namque, quæ in illis non dicta siue *Non pertractata est* &c. Si igitur Alexandri comites sumus, facilè apparebit uerum esse quod dicebamus; cum non dicat Aristoteles, se mouisse quæstionem istam in analyticis, sed potius se eã ibi non pertractasse. Sin autem Alexandri textum tanquam corruptum reprobare, & alios expositores una cum græco Aristotelis codice sequi uolumus, satis erit, si planum fecerimus Aristotelem hanc quæstionem mouisse non tantum in hoc libro, sed etiam in secundo Posteriorum, ubi ijsdem ferè uerbis utitur, quibus etiam in Metaphysicis eundem locum repetendo. Nam in trigesimo textu, uolens Aristoteles argumentari contra illos, quorum alii diuisione, alii uerò hypothetica ratiocinatione definitionem probare conabantur, affert dubitationem utrisque communem (& est ea de qua hoc loco) dicens, quod licet concluserimus hominem, exempli gratia, seorsum .i. una diuisione, uel una hypothetica ratiocinatione, esse animal, & seorsum esse bipedem, atq; seorsum esse gressibilem: non tamen ob hoc colligere licebit, magis illud totum esse unum, nimirum hominem esse animal bipes pedestre, quàm hominem esse animal, & esse bipedem, & esse gressibilem. non enim omnia, quæ priuatim prædicantur, etiam simul possunt prædicari, ut ipse Aristoteles ibi ostendit exemplo de homine, musico, & grammatico, cùm dicit: *Ex his enim, quæ accipiuntur, nulla necessitas est unum fieri, quod prædicatur, sed quemadmodum homo idem esset est musicus & grammaticus.* Quod etiam sanè latius declarabitur in calce huius libri (ut Deo annuente uidebimus, Idcirco mox illi dabant occasionem quærendi, nunquid partes definitionis deberent coniunctim proferri, ita quod definitio esset unū; quare relinquebatur quærendum ab illis (ut ibi ait Ioannes grammaticus) propter quid de homine, animal gressibile bipes simul prædicauit, & non separatim unumquodq;. Propterea dicit Aristoteles: *Eadem est dubitatio, propter quid homo est animal bipes pedestre, sed non animal, est pedestre.* Ipse tamen Philosophus ibi non ostendit, propter quid definitio ipsa sit unum, sed hoc tanquam alibi declarandum relinquit. & hoc uel quia est in parte argumentatiua, ubi tantùm rationes probabiles, secundum omnes interpretes proponuntur, uel quia hæc quæstio ad locum illum nō spectat: Remisit itaq; eam ad septimum Metaphysicorum, tanquam ad locum proprium, ut rectè dicunt omnes expositores. & ideo Philosophus memor eorum, quæ in secundo Posteriorum de definitione proposuerat, non autem pertractauerat, ferè iisdem uerbis eandem quæstionem in Metaphysicis mouet, quibus eam in Posterioribus Analyticis tetigerat. ut cuilibet uerba illa non oscitanter perpendenti liquidò constabit. Nec obstat quod Aristoteles in Metaphysicis non meminit, se illam quæstionem etiam mouisse in hoc libro, quia eam hic tantùm obiter, & in transcursu inseruit.

tex. 42. tex.

Non enim iste est locus proprius, ubi quæstiones ad definitionem attinentes moueantur: sed ille magis est in secundo Posteriorum, ut considenranti patet. Ideo Aristoteles in septimo Metaphysicorum tantùm illius loci meminit, non autem huius. Sed quod etiam ex sententia Aristotelis li-

ber

bet iste non sit Analyticus appellandus, patebit infetius, ubi nos hoc idem ex uerbis Philosophi adnotabimus. quandoquidem ipse de ordine propositionum loquendo, de quo etiam in calce primi Priorum uerba fecit, ita dicit: *Hæc igitur quemadmodum in resolutiuis dictum est sic sunt ordinata.* Quid clarius? Sed iam huic rei finem imponamus. Satis enim de expositione illius loci in Metaphysicis secundum sententiam ueterum dixisse uidemur.

Vel coniunctione una: Quo ad hanc partem est animaduertendum, propositiones hypotheticas (ut tradunt isti in suis introductionibus ad Logicam) esse triplices, conditionales nimirum, ut si dies est Lux est: coniunctiuas; ut dies est, & Lux est: atq; disiunctiuas, ut uel dies est, uel Lux est.

Est autem simplex enunciatio, &c. Hinc aliud argumentum pro opinione Alexandri colligitur. cum enim (inquit ille) hic Aristoteles enunciationem per affirmationem & negationem definiat, quæ alio modo definiri nequit, genus autem uniuocum nunquam per suas species definiatur, cùm modus iste definiendi conueniat tantùm generibus analogis, manifestum est, eam non esse uniuocum genus, sed potius analogum, ut iam dictum est.

Affirmatio uerò est enunciatio. &c. Ista autem est pars illa, cui inhætens Ammonius, atq; una cùm eo Ioannes grammaticus in primo Priorum asserit contra Alexandrum enunciationem genus esse uniuocum. Quoniam, si esset analogum, non poneretur in definitione specierum, cùm in earum definitionibus ponatur genus uniuocum tantùm.

Hæc sunt quæ ex opinionibus istorum celeberrimorum Aristotelis interpretum breuiter adducenda uidebantur. Nunc nostram sententiam circa hoc paucis apetientes dicimus, Ammonii opinioni potius adhærendum esse, quòd ptobabilior uidetur. Alexandri igitur perplexis dubitationibus omissis, secundum Ammonii & Ioannis grammatici doctrinam, quæ ab illo adducuntur iam dissoluere aggrediar. Quare ad primum deueniendo sic respondendum puto, species uniuocas si ad earum genus, utpotè ad naturam quandam illis communem, referantur, ordinem nullum inter se se admittere; sin autem ad se inuicem comparentur, minimè tolli posse, quin altera prior, altera uerò posterior esse dicatur: ut de homine & asino patet. hæc enim si ad animal referantur, eo æqualiter participant: at si inter se cōparentur longè prior ac præstantior homo, respectu asini existimabitur. Quòd quidem pariter de affirmatione, ac negatione respectu enunciationis euenire, cuiuis diligenter considetanti liquidò patebit. Altera uerò eius ambiguitas tollitur hoc modo, asserendo scilicet ibi Philosophum enunciationem non definire, sed potius diuidete. Præterea falsum est, enunciationem non posse definiri, nisi per affirmationem ac negationem, cum Aristoteles eam supra definiuerit absq; affirmatione & negatione, cum dixit: *Enunciatio uerò non omnis, sed in qua uerum uel falsum est.* Sed de hoc satis; plura autem intelligere cupiens Buranam in primo ptiorum legat, etiam si ille tandem à nostra recedat sententia. Hic etiam animaduertendum est, Aristotelem alibi enunciationem definire, paulò tamen aliter, quam hoc 1. *Post. tex.* 13.

loco, quod quidem breuitatis causa silentio præterire putaui.

Præsertim cum expositores doctissimè sanè ibi ea dicant, quæ huius rei plenam perfectamq; cognitionem tradere uidentur.

In Præd. cap. de oppositis. & 1. Post. tex 13. 1. Elench. cap. 4.

Et sit hoc contradictio. Nota Aristotelem aliis in locis, quid esset contradictio declarasse. Quæ autem ex his diuersis definitionibus adnotanda sint, si quis diligenter loca illa animaduertat, facillimè admodum intelliget.

Contra sophisticas determinauimus importunitates. Duo circa hanc partem notanda ueniunt, primum est Aristotelem in Elenchis ea omnia docuisse, quæ ueram planè inter affirmationẽ & negationem oppositionem constituunt, ubi dicit; *Nam redargutio est contradictio unius & eiusdem, non nominis sed rei, & nominis non synonymi, sed eiusdem ex ijs quæ data sunt ex necessitate, non connumerato eo quod erat in principio, secundum idem, & ad idem, & similiter & in eodem Tempore.* Quæ si attentè consideres, quæcunq; argumenta ab expositoribus aduersus locum istum adducuntur, perfacile soluere poteris. Secundum uerò est, Aristotelem hoc loco Librum Elenchorum appellare, contra sophisticas importunitates, & hoc ut intelligamus quæ de syllogismo sophistico alibi nos docuit, non ad hoc tendere, ut illis uteremur, sed potius ad ea euitanda scientiam haberemus: quem quidem librum in Prioribus Analyticis Topica uocauit. Sed de his hactenus.

2. Priorũ cap. 22

T. E. X. T V S.

QVONIAM autem sunt hæ quidem rerum uniuersales, illæ uerò singulares; (dico autem uniuersale, quod in pluribus prædicari natum est: singulare uerò quod non: ut homo quidem uniuersalium est, Callias uerò eorum quæ sunt singularia): necesse est quod enunciare quòd inest aliquid aut non, aliquando quidem alicui eorum quæ uniuersalia sunt, aliquando autem eorum quæ singularia sunt. Si ergo in uniuersali uniuersaliter enunciet quis quod est aut non est, contrariæ enunciationes erunt. Dico autem in uniuersali enunciare uniuersaliter: ut omnis homo albus est, nullus homo albus est. Quando autem in uniuersalibus, non uniuersaliter autem, non sunt contrariæ: quæ autem significantur, est esse aliquando contraria. Dico autem, non uniuersaliter enunciare in his quæ uniuersalia sunt, ut est albus homo, non est albus homo. cum enim uniuersale sit homo, non uniuersaliter utitur enunciatione: omnis nanque

non

non uniuersale significat, sed quòd uniuersaliter. In eo uerò quod prædicatur uniuersale, id quod est uniuersaliter prædicare, non est uerum. nulla enim affirmatio uera erit, in qua cùm uniuersale sit prædicatum, uniuersaliter prædicatur: ut est omnis homo, omne animal. Opponi autem affirmationem negationi dico contradictoriè, quæ uniuersaliter significat eidem, quod non uniuersaliter. ut omnis homo albus est, non omnis homo albus est: nullus homo albus est, aliquis homo albus est. Contrariæ uerò uniuersalem affirmationem & uniuersalem negationem. ut omnis homo iustus est, nullus homo iustus est. Quocirca has quidem impossibile est simul esse ueras; his uerò oppositas contingit aliquando in eodem simul esse ueras: ut non omnis homo albus est, & aliquis homo albus est. Quæcunque igitur contradictiones uniuersalium sunt uniuersaliter, necesse est alteram esse ueram uel falsam: & quæcunq; in singularibus sunt: ut est Socrates albus, non est Socrates albus. Quæcunq; autem in uniuersalibus quidem, non uniuersaliter autem, non semper hæc quidem uera est, illa uerò falsa est. Simul enim uerum est dicere quod est homo albus, & quod non est homo albus. & est homo pulcher, & non est homo pulcher. Si enim turpis est, non est pulcher. & si fit aliquid non est. Uidebitur autem subito inconueniens esse: iccirco quoniam uidetur significare idem, hoc, non est homo albus, & hoc, nullus homo est albus. hoc autem neq; idem significat, neq; simul necessario. Manifestum est autem quod una negatio unius affirmationis erit. hoc enim idem oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauit, & ab eodem uel ab aliquo singularium, uel ab aliquo uniuersalium: ut uniuersaliter, uel ut non uniuersaliter. dico autem ut est Socrates albus, non est Socrates albus. Si autem aliud aliquid ab eodem, uel ab alio idem, non est apposita, sed erit ab ea diuersa. Huic uerò quæ est, omnis homo albus est, illa quæ est, non omnis ho-

mo albus eſt. illi uerò quæ eſt, aliquis homo albus eſt, illa quæ eſt, nullus homo albus eſt. illi autem quæ eſt, eſt homo albus, illa quæ eſt, non eſt homo albus: Quod igitur una affirmatio uni negationi opponitur contradictorie, & quæ ſunt hæ, dictum eſt, et quòd contrariæ aliæ, & quæ ſunt illæ, dictum eſt. & quod non omnis uera uel falſa contradictio, & quare, & quando uera uel falſa. Vna autem affirmatio & negatio eſt, quæ unum de uno ſignificat, uel cùm ſit uniuerſale uniuerſaliter, uel non ſimiliter. ut omnis homo albus eſt, non omnis homo albus eſt: eſt homo albus, non eſt homo albus nullus homo albus eſt, aliquis homo albus eſt: ſi album unum ſignificat. Si uerò duobus unũ nomen poſitum eſt, ex quibus non eſt unũ, non eſt una affirmatio, neq; una negatio: ut ſi quis ponat hoc nomen tunica, homini & equo: quod tunica alba eſt, hæc non eſt una affirmatio, nec una negatio. Nihil enim differt hoc, quàm dicere quòd eſt homo equus albus. hoc autem nihil differt quàm dicere eſt homo albus, & eſt equus albus. Si ergo hæ multa ſignificant, & ſunt plures, manifeſtum eſt quòd & prima, uel multa, uel nihil ſignificat. neq; enim eſt aliquis homo equus. Quare nec in his neceſſe eſt hanc contradictionem ueram, illam uerò falſam eſſe.

METHODVS.

Cum Ariſtoteles ſuperiori in methodo de affirmationis ac negationis oppoſitione, quam putauit eſſe contradictionem, mentionem fecerit: nunc uerò ueram ut indaget contradictionem, uniuerſas earum oppoſitiones diligenter exequit.

... au- hic ... his ... m do- ... ime ... dis.

Primò Enũciationum diuiſionem. Nam

- *Primo loco entia diuidit, in*
  - *Vniuerſalia*
  - *Singularia*
  - *Quid autẽ utrũque ſit aperit*
    - *Deſcriptione: ut uniuerſale eſt quod eſt aptum natum dici de pluribus: ſingulare uerò nequaquam.*
    - *Exemplo: ut homo uniuerſale, Plato uerò ſingulare.*
- *ibi (neceſſe eſt autem) Deinde ſic ratiocinatur: Res aut eſt aut uniuerſalis aut ſingularis: omnis autem enunciatio eſt de rebus: omnis ergo enunciatio eſt uel uniuerſalis uel ſingularis.*

ibi (ſi ergo in uniuerſali) Vniuerſalium ad ſe inuicem, dicens Oppoſitas enunciationes uniuerſales uniuerſaliter ſumptas eſſe contrarias: ut omnis homo eſt iuſtus, nullus homo eſt iuſtus.

ibi (Quoniam autem in) Dubitatur, cur dicitur uniuerſaliter ſumptæ? Soluit, quia niſi ſignum uniuerſale addas, contrarias non efficies, poſſunt enim amba eſſe uera, ut infra

Secundò rem ipsam aggreditur, triaq́; docet

Primū prædictarū enunciationum oppositiones. ut de licet

ibi (opponi autem)

Vniuersalium ad particulares, cùm profert; Oppositas enunciationes quarum altera vniuersalis est uniuersaliter sumpta, altera uerò particularis particulariter accepta esse contradictorias: ut omnis homo est albus, non omnis homo est albus.

ut infra apparebit.

Quæritur rursus, cur non etiam apponitur signum uniuersale prædicto?

Respōdet, quoniā omnis affirmatiua semper esset falsa: ut omnis homo est omne animal.

Secūdū quomodo prædicta oppositiones se habeant ad uerum & falsum in tempore

Præterito et præsenti & hoc uel quo ad

ibi (contraria uerò)

Contrarias, quas dicit nunquam esse simul ueras, licet oēs opposita possint simul esse uera: ut aliquis homo est albus, non omnis homo est albus.

ibi (Quæcunq; igitur)

Contradictorias, quæ sunt uel

Vniuersales: ut omnis homo est albus, non omnis homo est albus.

Singulares: ut Socrates est albus, Socrates non est albus.

Sēper si una est uera, altera erit falsa.

ibi (quæcunq; autem in uniuersalibus)

Eas, quæ contrariæ uidentur, non sunt tamen, cùm non sint uniuersaliter sumpta: ut homo est pulcher, homo non est pulcher. quare asserit, eas non esse contrarias, cùm in materia contingenti possint esse ambæ uera.

Sed quis diceret idē esse, homo nō est albus, et nullus homo est albus.

Respōdet hoc plurimū differre. nā unū est uniuersaliter sumptum, alterum uerò minimè.

Futuro. Sed de hoc in sequenti methodo.

Tertiū dubio locum claudit, ne quis credat, cum plures sint oppositiones, uni affirmatio plures opponi negationes. quare

Primò ostendit uni affirmationi unam opponi negationem contradictoriè, & è contra. Quod probat.

ibi (Manifestū est autem)

Ratione sic: Quod affirmat affirmatio, negat negatio de eodem, siue sit particulare, siue uniuersale, uel uniuersaliter, uel non uniuersaliter sumptum: Sed quod affirmatur contingit nisi uno modo negari: Vni igitur affirmationi. &c.

Exēplis nam

Huic Socrates est albus, tantū opponitur Socrates non est albus.

ibi (Una autem)

Secundò, quæ nam sit una affirmatio & negatio, & quæ plures explicat, sic

Vna est, cū subiectū & prædicatū sunt uniuoca.

Plures, cum subiectum uel prædicatum plura significat.

Huic. Omnis homo est albus, tātū oppugnat, Non omnis homo est albus.

Huic Nullus homo est albus, tātum aduersatur Aliquis homo est albus.

Huic homo est albus, tantū cōtradicit homo non est albus.

Ut autem res ipsa magis & oculis & animo cernatur, hanc uulgarem oppositionum figuram effingam.



ANNOTATIONES.

CVM huius capitis series facilè ex nostra methodo haberi posfit, tem pus nos hortatur, ut ad nostras annotationes accedamus. Qua quidem in re illud statim se offert considerandum, Cur Aristoteles de contradictione acturus in hoc opere, nequidquàm de ipsa in procemio dixerit, cùm tamen de reliquis ibi mentionem fecerit? Hanc difficultatem tollit Magentinus in prologo huius libri, afferendo eam Philosophum significasse, ubi de par tibus ipsius, nempe de affirmatione & negatione sermonem habuit; cùm contradictio potestate in illis contineatur.

Multa hic docet Ammonius quæ quoniam ad propositum nostrum multum spectare uidentur, nos ea quo ad fieri poterit breuiter ac methodi ce explicare conabimur. Hoc igitur primùm ipse examinat, quomodo ex affirmatiuis propositionibus fiant negationes; & id fieri dicit, assumpta par ticula negatiua, *Non*, ipsaq; prædicato apposita, non autem subiecto: quibus autem rationibus ductus hoc afferat, qui eius commentarios legerit, facilè intelliget.

Secundum autem est, quot sint propositiones secundi adiacentis: pro cu ius rei intelligentia scias oportet, huiusmodi propositionum diuisionem à quinq; potissimùm desumi, à quantitate nimirum, & hoc modo sunt uel uniuersales, uel particulares, uel singulares, uel indefinitæ. desumuntur etiam à qualitate, & sunt uel affirmatiuæ, uel negatiuæ, quibus prioribus associatis, erunt octo. quandoq; etiam per modum cohærentiæ prædicati cum subiecto accipiuntur, & ita per materiam necessariam, contingentem & impossibilem solent diuidi, cum quibus si antedictas multiplicaueris, uigintiquatuor fient. Nonnunquam penes tempus quoq; distinguntur, uel præsens, uel præteritum, uel futurum, quas si prædictis addas, septuagesimum secundum numerum tibi parient. Vltimo huiusmodi propositiones per subiectum finitum, uel infinitum seiunguntur, qua quidem sectione omnes inde ortæ propositiones erunt centum septuaginta quatuor.

Tertium de quo disserit Ammonius est, quomodo propositiones adinuicem opponantur, quod cùm in nostris methodis διάγραμμα ipsum apertissimum ostendat, nullum hic nobis locum differendi reliquit. Silentio autem prætermittendum non existimaui, oppositionem quæ est inter affirmationem & negationem singularem: ut Socrates est, Socrates non est, esse cõ tradictoriam, quoniam diuidit uerum & falsum; una enim existente uera, altera ex necessitate erit falsa: licet hoc aliter se habeat in futuris contingentibus. Sed de hoc in sequenti capite.

De signis etiam ultimo loco loquitur idem Ammonius, quæ quatuor esse credit, quorum duo sunt uniuersalia: ut *Omne*, & *Nullum*, duo uerò particularia: ut *Aliquod*, & *Non omne*.

Quam autem sedem sibi in propositionibus asciscant, explicat ipse, di-

cendo,

cendo, ea semper poni ex parte subiecti. qui uerò causam huius rei intelligere cupit, iste ad Aristotelem se conferat. *In praesenti cap. & 1. Prior. Sect. 2. cap 1.*

Sed uideo hic locum dubitationi aperiri: nam diximus notam negationis semper apponi prædicato. Signum ergo, *Non omne*, cùm in se contineat particulam, *Non*, addendum erit prædicato, non autem subiecto. Hoc argumentum diluit Ammonius cùm moneat negationem in propositionibus semper esse apponendam parti præstantiori, ac digniori: Quoniam autem in propositionibus absque signo præcipua pars est prædicatum; in habentibus uerò signum, siue in præfinitis cardo est, ac caput ipsa præfinitio siue signum: Idcirco in non præfinitis, de quibus supra, negationis nota, prædicato apponitur, in præfinitis uerò, de quibus nunc, eam ipsi subiecto addendam esse dixit. Sed de his satis. Quod si curiosus lector plura de hoc desiderat, Ammonius hoc loco, & ipse Franciscus Burana in primo priorum, illi plenè satisfacient. Quapropter his omissis ad annotationes me conferam. *loco citato*

Quoniam autem sunt hæc quidem rerum uniuersales. &c. Hæc uerba fortasse aliquis ipsi Philosopho uitio uerteret, quippe qui diuisionem rerum attulerit, ubi de uocibus tantùm, ac secundis intentionibus pertractatur. Beatus Doctor huic dubio satisfaciendum sic putat. dicit enim Aristotelem nunc subiecta propositionum diuidere, quæ cùm sint nomina, nomina uerò sint uoces, ac uoces, ut habitum est in proœmio, sint rerum similitudines; non mirum, si Aristoteles de uocibus loquendo, de rebus etiam, ut de his quorum uoces sunt similitudines, mentionem fecerit. Hæc ille. Quibus etiam non ab re hæc adiungi posse arbitror, hoc Aristotelem consulto fecisse, ne quis crederet Logicum eo modo agere de uocibus, & secundis intentionibus, quo grammaticus & Rhetor. Ii enim has per se ipsas contemplantur, ille uerò, ut rebus sunt adiunctæ. Quare cùm Aristoteles hoc loco de uocibus loquatur, meritò etiam de rebus uerba facit. In ante prædicamentis uerò, cùm agere de rebus uideretur, de uocibus etiam meminit, cùm dixit: *Aequiuoca dicuntur* &c. Mox uerò: *Vniuoca uerò dicuntur*, &c. Et paulo infra: *Denominatiua uerò dicuntur*. &c. Non autem dixit Philosophus, Aequiuoca, uel Vniuoca, uel Denominatiua sunt, ut rectissimè adnotarũt interpretes, & hoc non alia quidem ratione ductus, nisi ne aliquis in hanc descenderet sententiam, se de rebus tantùm, non autem de uocibus loquuturum.

Natum est; Nota secundum græcos interpretes hoc addidisse Aristotelẽ propter nomina æquiuoca, quæ licet prædicentur de pluribus, ut Canis, de terrestri, aquatico, & cælesti, non tamen id à propria natura habent, sed ex instituto potius, & ex nostra impositionè: Altera etiam causa afferri solet, quam uide apud Beatum Thomam.

Singulare uerò quod non. Dubitari hic posset propter hoc nomen *Plato*, cùm de pluribus eodem nomine participantibus prædicetur, & tamen non est quid uniuersale, sed singulare: quomodo ergo non potest singulare de pluribus dici? Tolli hoc facilè potest, cùm illa sit prædicatio æquiuoca, non

autem uniuoca. non enim ea quæ nomine illo participant, in definitione, aut deſcriptione conueniunt: nam ſola ſpecie definitur. Indiuidua uerò quibuſdam accidentibus propriis circumſcribuntur, quæ cùm eadem in duobus indiuiduis reperiri non ualeant (ut ait Porphyrius in Prædicabilibus) haud dubiè fatendum, ea etiam deſcriptionibus differre.

Quæ autem ſignificantur eſt eſſe aliquando contraria. Licet iſte locus ab interpretibus uariè exponatur, hunc tamen ſenſum cæteris præferendum arbitror, quod quamuis præpoſitiones illæ actu ſint indefinitæ, uirtute tamen quandoq; ſunt contrariæ. hocq; quotieſcunq; res per huiuſmodi propoſitiones explicatæ neceſſariæ extiterint: ut homo eſt animal, homo non eſt animal. Si autem res enunciatæ contingentes fuerint, non erunt contrariæ: ut homo eſt albus, homo non eſt albus. Sed fortaſſe aliquis diceret textum hoc modo non eſſe interpretandum, cùm Philoſophus hic non de contrarietate rerum, ſed potius enunciationum agat. Nos autem hoc non magno cum labore enodare ualebimus, cum ipſe ſupra rerum etiam diuiſionem nobis tradiderit. Quare nec incongruum erit, ut iterum de iiſdem uerba faciat. præſertim cum ipſe etiam infra ſit dicturus id quod & in prædicamẽtis capite de ſubſtantia docuit, his uerbis.

In eo quod res eſt, aut non eſt, in eo etiam oratio uera, uel falſa eſſe dicitur. Nulla enim affirmatio uera erit &c. Meminiſſe te oportet, quæ in ſuperioribus de ſede ac loco ſignorum diximus. eadem enim hic repetere non eſt opus. Nota etiam quod ſi ſequamur expoſitionem illam, quam in methodis noſtris poſuimus, dicendum erit Ariſtotelem hoc loco ſolum duas propoſitionum oppoſitiones ſignificaſſe, cõtradictoriam nimirum, & contrariam. Nec obſtat ipſum de ſubalternis ac ſubcõtrariis nõ meminiſſe, cùm hoc facilè poſſimus ſoluere, dicentes, Philoſophum eas tantum poſuiſſe oppoſitiones, quæ maximæ ac primariæ uidebãtur, & quibus poſitis paruo admodum negotio reliquæ inuenirentur: cæteras uerò breuitatis cauſa omiſiſſe. Maximæ enim, & præcipuæ illæ ſunt, cum omnes oppoſitiones hoc ordine diſponantur. Nam contradictio, cum ſit oppoſitio in quantitate & qualitate, primum ſibi uẽdicat locum. Secundum uerò contrarietas ipſa, in qua propoſitiones opponuntur in qualitate ſecundum quantitatem uniuerſalem. Tertium ſubcontrarietas, quæ eſt oppoſitio in qualitate, ſecundum quantitatem particularem. Vltimum ſubalternatio, quæ cum ſit oppoſitio in quantitate tantum, omnium eſt minima. In Prædicamentis enim habetur, in quantitate contrarietatem non haberi. Quam ob rem planè conſtat duas illas priores, tanquam principales fuiſſe ab Ariſtotele poſitas, poſteriores uerò meritò ſilentio præteriiſſe, dici poteſt. Quod etiam cõtradictione & contrarietate locatis, ſatis leuiter reliquæ reperiri poſſint oppoſitiones, hinc prorſus cuicunq; perſuaderi poſſe opinor: ſiquidem illæ ſint ſatis ad explendos omnes oppoſitionum angulos. Idcirco haudquaquam negandum Ariſtotelem conſultò illas tantùm in mentem reuocaſſe. Animaduerte tamen, Ariſtotelem dum docet, quo pacto huiuſmodi propoſi-

Cap. de Quantitate.

tiones

tiones oppositæ se habent ad uerum & falsum nullam intactam relinquere;ut accuratè consideranti exploratum erit.

Simul esse ueras. Possunt tamen in materia contingenti simul esse falsæ,ut omnis homo est albus,nullus homo est albus.

His uerò oppositas contingit aliquando in eodem simul esse ueras. Hic sermonem habet de subcontrarijs in materia contingenti,ut aliquis homo est albus,non omnis homo est albus.

Quæcunque igitur contradictiones.&c.Obseruandum contradictorias esse aut uniuersales, aut singulares, sed de singularibus in sequenti capite. Hic autem in dubitationem adduci potest, cùm singulares opponantur in qualitate tantùm, an contradictoriæ dici debeant nec ne? Hanc quæstionem sic explicandam puto:iccirco eas dici contradictorias, quòd eodem modo quo contradictoriæ respiciunt uerum & falsum. semper enim si una est uera,altera erit falsa.

Non semper hæc quidem uera est. &c. Loquitur de indefinitis in materia contingeti,quæ esse possunt ambæ ueræ:ut homo est albus,homo nõ est albus.

Si enim turpis est.&c. Probat hic Aristoteles stare simul, homo est albus & homo non est albus. Præterea in unum cõsistere,homo est pulcher & homo non est pulcher. Consentiunt enim,homo est pulcher,ut Italus, & homo est turpis,ut Aethiops: At turpis,est non pulcher:ergo &c. Deinde stãt simul, homo est albus, pro eo qui iam albus est, & homo fit albus, pro eo qui est (ut sic dixerim) in fieri:At fieri album,idem est, quod non esse album.ergo &c.

Et ab eodem uel ab aliquo. &c. Animaduertendum Aristotelem hoc loco, uti ab eodem, uel ab aliquo, pro de eodem,aut de aliquo: sicuti etiam alibi usus est, dici de subiecto, pro esse in subiecto,ut adnotarunt uiri grauissimi. Quare uerborum sententia erit,necesse esse affirmationem illam, uel negationem, circa idem subiectum, siue singulare, siue uniuersale:& si uniuersale, siue uniuersaliter,siue non uniuersaliter sumptum semper uersari. 1. Physi. tex. 14.

Si autem aliud aliquid ab eodem. i. esse quidem aliud prædictum, semper autem idem subiectum:ut Plato est albus,Plato non est niger:

Vt ab aliquo idem. i. aliud esse subiectum, eodem tamen prædicato existente: ut Plato est albus. Socrates non est albus.

Quare istæ non erunt contradictoriæ,sed tantum oppositæ.

Est homo albus illa quæ est &c. Velim hic exploratum habeas indefinitas propositiones,cum subiectum pro eodem in utraq; capitur, contradictoriarum nomen sortiri,ut homo est albus,homo non est albus,si pro Italo tantum,uel Aethiope sumatur; sin uerò indifferenter pro quocunq; homine, dicendum esse ut supra.

Et quod non omnis uera,uel falsa contradictio. Est autem locus iste ambiguus, cum alias dicat Aristoteles. De quolibet uerum esse affirmare uel negare, & de nullo ambo; Deinde contradictionem esse oppositionem cuius non est medium secundum se ipsam. Præterea in his quæ opponuntur tanquã 1. Poster. tex. 2. & in Prædictis ca. de opposi- tis.

affirmatio & negatio, necessarium esse semper, hoc quidem eorum uerum, illud autem falsum esse. Sed hæc satis leuiter tolli possunt, si uerbum illud, contradictio, secundum ferè omnes expositores interpretemur. Aiunt enim Aristotelem contradictionem hic latius accipere, ut idem significat, quod oppositio. Quare non erit absurdum dicere nonnullas esse contradictiones .i. oppositiones, non diuidentes uerum, uel falsum: res autem secus esset, si contradictio pressius acciperetur, sicuti eam Philosophus in præallegatis locis sumpsit.

Si ergo hæ.i. Orationes.

Quod est prima.i. uel affirmatio, uel negatio.

Vel nihil significat. Nihil, quoniam falsum; & ideo subdit: *Neque enim est aliquis homo equus*. Vel aliter dictionem istam, *Nihil*, exponere possumus, ut dicamus Aristotelem alludere ad ea quæ alibi scripsit, cùm dixit: *Non unum enim significare, nihil est significare*. Prior tamen expositio, uerbis philosophi magis consona uidetur.

4 *Meta. tex.*

Quare nec in his &c. Quoniam utraq; potest esse uera: ut tunica est rationalis, si pro homine capiatur, est uerò irrationalis, si pro equo.

TEXTVS.

IN ijs ergo quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmationem uel negationē ueram esse uel falsam. Et in uniuersalibus quidem ut uniuersaliter, semper hanc quidem ueram, illam uerò falsam esse, et in his quæ singularia sunt, quemadmodum dictum est; in uniuersalibus autem quæ non uniuersaliter dicta sunt, non necesse est. dictum est autem & de his. In singularibus uerò & futuris, non similiter. Nam si omnis affirmatio & negatio uera uel falsa est: & omne necesse est esse uel non esse. quare si hic dicat futurum esse aliquid: ille uerò non futurum dicat hoc ipsum: manifestum est, quòd necesse est uerum dicere alterum ipsorum: si omnis affirmatio uel negatio uera uel falsa est. utraq; enim non erunt simul in talibus. Nam si uerum est dicere, quòd album uel non album, necesse est esse album uel non album: & si est album uel non album, uerum erat affirmare uel negare; & si non est, falsum dicit: & si falsum dicit, non est. Quare necesse est semper affirmationem

aut

aut negationem ueram esse uel falsam. Nihil igitur neq; est, neq; fit, nec à fortuna, nec utrumlibet contingit, neq; erit neq; non erit: sed ex necessitate omnia, et non utrumlibet contingit. aut enim qui dicit uerus est, aut qui negat. similiter enim uel fieret, uel non fieret. quòd enim utrumlibet contingit, nihil magis sic uel non sic se habet, uel habebit. Amplius autem, si est album nunc, uerum erat dicere prius, quòd erit album, quare semper fuit uerum dicere quodlibet eorum quæ facta sunt, quod est uel erit. si autem uerum semper fuit dicere quod est, uel erit, non potest hoc non esse, uel non futurum esse quod autem non potest non fieri, impossibile est non fieri, & quod impossibile est non fieri, necesse est fieri: omnia igitur quæ futura sunt necesse est fieri. Nihil igitur utrumlibet contingit, neq; à fortuna erit. Nam, si à fortuna, non ex necessitate. At uerò nec quod neutrum uerum est dicere contingit: ut quòd neq; erit, neq; non erit. Primum enim cùm sit affirmatio falsa, negatio non uera erit: et cùm hæc falsa sit, contingit affirmationem nõ ueram esse. Et ad hæc, si uerum sit dicere, quòd album est simul & magnum, oportet esse utrunque. si uero erit cras, oportet fore cras. si autem neq; erit, neq; non erit cras, non erit utrunlibet contingit: ut est nauale bellum: oporteret enim neq; fieri nauale bellum neq; non fieri. Quæ ergo contingunt inconuenientia hæc sunt, & huiusmodi alia: siquidem omnis affirmationis & negationis, aut in uniuersalibus dictis ut uniuersaliter, uel in ijs, quæ sunt singularia, necesse est oppositarum; hanc quidem ueram eße, illam uerò falsam. nihil autem utrumlibet contingit eße in ijs quæ fiunt, sed omnia esse & fieri ex necessitate. Quare neq; consultare oportebit, neq; negociari: quòd si hoc quidem facimus, erit hoc: si uerò non hoc, non erit hoc. Nihil enim prohibet, & in annum decies millesimum, hunc quidem dicere hoc futurum esse, illum uerò non dicere. quare ex necessitate erit utrumlibet eorum, quod ab ipso ue-

rum erat dicere tunc. At uerò nec hoc differt, si aliqui dixerint contradictionem, uel non dixerint. manifestum enim quòd sic se habent res, etiam si non hic quidem affirmauerit quid, ille uerò negauerit. non enim propter negare uel affirmare erit, uel non erit, nec in decies millesimum annum, magis quàm in quantolibet tempore. Quare si in omni tempore sic se habebat ut alterum uerè diceretur, necesse erat hoc fieri: & unumquodq; eorum quæ fiunt, semper sic se habebant, ut ex necessitate fieret. Si enim uerè dixit quis quod erit, non potest non fieri: & quod factum est, uerum erat dicere semper, quod erit. Si itaq; hæc impossibilia sunt: uidemus enim esse futurorum principium, & ab eo quod consultamus, atq; aliquid agimus: & quod est omnino in ijs quæ non semper actu sunt, possibile esse, & non esse similiter, in quibus utrunq; contingit & esse & non esse, quare & fieri, & non fieri: & multa nobis manifesta sunt sic se habentia: ut quod hanc uestem possibile est incidi, & non incidetur, sed prius exteretur: similiter autem & non incidi possibile est. non enim esset eam prius exteri, nisi possibile esset non incidi: quare & in alijs generationibus, quæ secundum huiusmodi potentiam dicuntur: manifestum igitur est, quod non omnia ex necessitate, uel sunt, uel fiunt: sed alia quidem utrumlibet contingit, et nihil magis affirmatio quàm negatio erat uera uel falsa: alia uerò magis quidem, & ut in pluribus alterum, nihilominus contingit fieri & alterum, alterum uerò minimè. Igitur esse quod est, quando est, & non esse quod non est, quando non est, necesse est. Sed non omne quod est, necesse est esse, nec quod non est, necesse est non esse. non enim idem est, omne quod est, necessario esse, quanto est, & simpliciter ex necessitate esse: similiter autem & in eo quod non est. Sed & in contradictione eadem est ratio. esse quidem uel non esse omne necesse est: & futurum esse uel non: non tamen diuidentem, dicere alterum necessarium. dico autem ut necesse est

futurum

futurum esse bellum nauale cras, uel non futurum esse: non tamen fieri cras bellum nauale necesse est, neq; non fieri: fieri tamen, uel non fieri necesse est. Quare cùm similiter orationes ueræ sint, quemadmodum et res, manifestum est quòd quæcunque sic se habent ut sint utrumlibet contingit, & contraria suscipiant, necesse est similiter se habere & contradictionem, quod contingit in ijs, quæ non semper sunt, uel non semper non sunt. horum enim necesse est alteram partem contradictionis ueram esse uel falsam. non tamen hanc uel illam, sed utramlibet contingit: & magis quidem ueram alteram, non tamen iam ueram uel falsam. Quare manifestum est, quòd non est necesse omnis affirmationis uel negationis oppositarum, hanc quidem ueram, illam autem falsam esse. non enim quemadmodum in ijs quæ sunt, sic se habent, & in ijs quæ non sunt quidem, poßibilibus tamen esse, uel non esse, sed quemadmodum dictum est.

METHODVS.

Cùm supra oppositas propositiones singulares, contradictorias esse, & idcirco alteram ueram & alteram falsam esse asseruerit; nunc uerò num hoc in omni materia ac tempore semper eueniat nec ne, differit,

- *Ideo hic duo efficit.*
  - *Primũ docet contradictorias esse de tempore uel*
    - *Præsenti & præterito, & esse uel*
      - *Uniuersales uniuersaliter sumptas* } *Sẽper quidẽ, si una est uera, altera erit falsa.* } *Sed de his supra.*
      - *Singulares* } *Sẽper quidẽ, si una est uera, altera erit falsa.* } *Sed de his supra.*
      - *Vniuersales nõ uniuersaliter sũptas, quæ possũt esse ãba uera* } *Sed de his supra.*
    - *Futuro: quarum singulares non sic se habent, quòd & si altera sit uera, & altera falsa, necesse sit. & hoc nunc excutiendum statuit.*
  - *Secũdũ, utrũ in singularibus de futuro cõtingenti sit ueritas determinata; & falsitas quæris. Nam*
    - *Primo disputatione hoc uitatur*
      - *Primò negatiuè, quia omnia euenirẽt necessario; quod probat*
        - *ibi (Quare si hic dicat)* Primò: Si quis dicat aliquod contingens esse futurũ, et alter illud neget, tũc necesse esset alterũ tantũ uerum dicere, cùm contradictoria nõ possint esse ambæ uera. Si ergo necessario alter uerum diceret, tunc contingens esset necessarium; & omnia necessariè euenire, nihilq; fieri à casu, & ad utrumlibet, opus erit.
        - *ibi (Amplius autem)* Secundò: Si huic contingenti, hoc est album fuisset ueritas determinatà, uerum fuisset semper dicere, hoc erit album: ergo ex necessitate factum esset album: non fuisset igitur contingens; & sic omnino necessario euenirent.
      - *Secũdò affirmatiuè quod duabus rationibus probat.*
        - *ibi (Primum enim sit.* Prima: Si in illis nulla esset determinata uel ueritas uel falsitas, sequeretur ab affirmatione, & negatione, nec uerum. nec falsum separari, sed partem utranque cõtradictionis esse uel uerã, uel falsam: absurdũ consequẽs: ergo et antecedẽs.

ibi

HOC in primis adnotandum existimaui, ex prædictis tres posse enunciationum partitiones colligi: quarum prima in simplici & composito, secunda in qualitate.i.affirmatione & negatione, tertia in quantitate uersatur. & duæ adhuc aliæ, quarum altera tempus, altera materia respicit, ex hoc capite excipi possunt.

Sed hic dubitandi locus se se offert, cur tantùm Philosophus quæstionem de contingentibus futuris singularibus discutiendam proponat, non autem de uniuersalibus etiam futuris contingentibus? Hanc quidem obiectionē bifariam possumus enodare. Primùm quod contradictoriæ illæ uniuersales similiter se habēt,& in futuro,& in præterito,& in præsenti. Sēper enim& uerū & falsū diuidūt,ut omnis homo uel est,uel fuit,uel erit albus. aliquis homo uel non est uel nō fuit uel nō erit. Secundo etiā dici potest, materiam cōtingentem propriè singularibus accōmodari. Si enim quid necessarij in ipsis reperiatur,non hoc quidem ab ipsa eorum natura,sed ab ea quæ uniuersalium sub quibus collocantur emanat. Animaduertendum etiam puto,quod cùm auctore Aristotele contingens sit triplex,nempè necessarium,non necessarium, & possibile,hic Philosophum de possibili tantum loqui, utpotè in eo in quo nulla uel ueritas uel falsitas determinata. 1. Prior. cap. 4.

Nihil ergo neque fit &c. Animaduerte his uerbis facilè cerni posse Aristotelem de omnibus contingentibus possibilibus uerba facere, quæ in triplici sunt discrimine;quod enim raro accidit à casu uel fortuna dicitur, quod uerò sæpius natum appellatur,sed quod medium tenet dicitur ad utrumlibet. Sed statim in medium aliquis adduceret Aristotelem non rectè hic de omnibus egisse,cùm ex illo met colligatur tantum,natum,negocio syllogistico deseruire. Cui quidem satisfaciendum sic arbitror, Aristotelis sententiam esse hic agere de quibus contingentibus illis,in quibus uerum uel falsum determinatum inueniri non potest; quod cùm de raro, nato, & ad utrumlibet uerificetur, non erit impedimento,si etiam de omnibus his Philosophus uerba faciat. 1. Prior ca. cit ato.

Fortuna. Nota ex Aristotele fortunam esse causam secundum accidens, in his quæ secundum electionem eorum,quæ propter aliquid sunt. 2 Phy. tex. 52.

Amplius autem si est albus nunc &c. Hic quærendi ansam iam ipse dat locus cur propositio de re contingenti præsenti necessario sit uera,uel falsa determinatè,ut patet in contextu? Facilis erit solutio si dicamus rem contingentem præsentem in seipsa esse, futuram autem in sua causa, è qua cùm non necessario proficiscatur, minimè nos admiratio tenere debet, si huiusmodi propositio de præsenti uerificetur:de futuro uerò nequaquam.

Et ad hæc si uerum sit dicere &c. Nota cuilibet propositioni de futuro determinatè uel ueræ uel falsæ,necessariè respondere unam determinate uel ueram uel falsam de præsenti.

Quare neque consultare oportebit &c. Animaduerte prætereà, si omnia ex necessitate cōueniāt, uanas atq; inanes omnes humanas esse actiones.cum ut Philosophus testatur,de necessariis consultatio fieri non possit. 6. Eth. cap. 1. 2. 5. 7. & alibi.

At

At uerò nec hoc differt. Colligendum etiam, nostrum uel affirmare uel negare rebus ipsis necessitatem non imponere, sed è contra. In eo enim quod res est uel non est dicitur oratio uel uera uel falsa.

Si itaque hac impossibilia sunt. Nota actiones nostras à uoluntate proficisci, ut Aristoteles nos esse principia earum efficientia doceat. 6. Eth. cap. 2.

Sed alia quidem utrumlibet contingit. Collige deinde triplex esse contingens possibile, ut supra adnorauimus. Sed hoc tibi pariet dubitationem, cùm hic de raro Aristoteles ne uerbum quidem fecerit. Dicendum est igitur ex animi sententia hic contingens rarum, supra uerò contingens ut in pluribus prætermisisse Philosophum. cùm uno tantùm posito, alterum ipsi ut contrarium respondeat.

Igitur esse quod est &c. Ex hoc loco necessarium esse duplex cognoscere possumus, nempe simpliciter, & ex supositione.

In huius uerò capitis calce memoriæ mandandum erit: In futuris contingentibus ex mente Aristotelis bifariam determinatam esse ueritatem & falsitatem, uno modo ex suppositione, altero uerò per collationem ad suum oppositum cum modali disiunctiua. Quod quidem cum perspicuum in nostris methodis appareat, his omissis ad alia pedem conferam.

TEXTVS.

QVONIAM autem est aliquid de aliquo affirmatio significans: hoc autem uel nomen est uel innominatum: unum autem oportet esse & de uno id quod est in affirmatione: nomen autem dictum est & innominatum prius: (non homo enim, nomen quidem non dico, sed nomen infinitum: unum enim significat aliquo modo infinitum nomen: quemadmodum & non ualet non uerbum: (sed infinitum uerbum:) erit igitur omnis affirmatio & negatio, uel ex nomine & uerbo, uel ex infinito nomine & uerbo. Sine uerbo autem nulla affirmatio uel negatio est. est enim, uel fuit, uel erit, uel fit, uel quæcunque alia huiusmodi uerba, ex ijs sunt quæ posita sunt: consignificant enim tempus, Quare prima erit affirmatio & negatio, est homo, non est homo, deinde, est non homo, non est non homo. Rursus, est omnis homo, non est omnis homo: est omnis non homo, non est omnis non homo. Et in ijs, quæ extrinsecus sunt temporibus, eadem est ratio.

METHO-

METHODVS.

Edocta iã in præcedentibus methodis propositionũ secundi adiacẽtis diuisione penes simplex et compositũ, qualitatem et quantitatem, materiam & tempus: Ordo rei, postulat; ut eadem propositiones penes finitum & infinitum distinguantur.

Quare duo philosophus docet.

Primum, omnẽ enũciationem constare

- *Ex uero nomine uel nomine infinito: Nam quod dicit aliquid de aliquo constat ex nomine uel nomine infinito: Omnis enunciatio enunciat aliquid de aliquo, omnis ergo enunciatio constat ex nomine uel nomine infinito.*
  ibi (Sine uerbo autem)
- *Ex uerbo uel uerbo infinito. Quoniam Est, Fuit, Erit & alia id genus, sunt uel uerba, uel uerba infinita: tempus enim consignificant: At omnis enunciatio constat ex Est, uel Fuit, uel Erit: Omnis ergo enunciatio &c.*
  ibi (Quare prima erit.)

Secundum propositiones secundi adiacentis commutato subiecto multiplicare. ut

- *Homo est, Homo non est.*
- *Non homo est, Non homo non est.*
- *Omnis homo est, omnis homo non est.*
- *Omnis nõ homo est, omnis nõ hõ non est.*

Notat eodem modo uariari etiam propositiones particulares, singularesq́, atque eas qua ex extrinsecis sunt temporibus. i. ex tempore uel præterito uel futuro.

ANNOTATIONES.

HOC nobis in initio capitis in mentem adnotandum uenit Aristotelem sermoni propositionum de secundo adiacente finem imponere: atque nouissimam earum diuisionem, quæ circa finitum & infinitum uersatur tradere. Sed illud difficultatem facit quod in prædicatis uisus est sæpe ac sæpius exempla ponere non de propositionibus de secundo adiacente; sed potius de tertio. Quapropter falsum diceretur, hactenus de propositionibus secundi adiacentis Aristotelem sermonem habuisse. At istud sic soluendum arbitror, exempla potius illum maioris declarationis causa sequutum esse superius, quàm rei ueritatem. Quod autem hoc exemplis concedatur, ipse Aristoteles & Auerroes clarè pluribus in locis affirmant.

Arist. 1. Prio. Secto. 3. ca. 1. & 1. Post. tex. 80. & Auer. 2. de Anima com. 67.

Vnum enim quodammodo significat infinitum nomen. i. non significat propriè unum, tanquam unam formam uel generis, uel speciei, uel indiuidui: sed tanquam priuationem alicuius formæ, in qua multa priuatiuè conueniũt.

Sine uerbo autem &c. Hoc idem in orationis capite positum fuit.

Quare prima erit &c. Beatus Thomas inquit affirmatione finitam eadem ratione priorem esse affirmatione infinita, qua affirmatio est prior negatione. Cui adde, & qua habitus est prior priuatione.

Quæstione tamen dignum est, cur in exemplis ab Aristotele in contextu positis, de propositionibus singularibus, atq; particularibus non habetur sermo; sed tantùm de uniuersalibus & indefinitis? Ad hanc quæstionem facilè responderi potest, si dixerimus, uel Aristotelem breuitati studere: uel ut nonnulli tenent, de particularibus nihil dixisse, quia earum subiecta eandem habent uim, quam uniuersalia non uniuersaliter sumpta. i. indefinita. De singularibus uerò non fecit uerba, quòd omnis propositionum differentia in ipsis inueniri non ualeat. non enim quantitate metiuntur. Prior tamen responsio mihi magis probatur.

TEXTVS.

QVANDO autem est, tertium adiacens appradicatur, dupliciter dicuntur oppositiones. Dico autem, ut est iustus

H homo.

homo, ipsum est, tertium dico adiacere nomen, uel uerbum in affirmatione. Quare ob id ipsum quatuor erunt illæ, quarum duæ quidem ad affirmationem & negationem se habent secundum consequentiã, ut priuationes: duæ uerò minime. Dico autem quod est, aut iusto adiacebit, aut non iusto: quare etiã negatio. quatuor igitur erunt. Intelligimus uerò quòd dicitur ex ijs, quæ subscripta sunt. Est iustus homo, huius negatio est, non est iustus homo: est non iustus homo, huius negatio est, non est nõ iustus homo: est enim hoc in loco, et non est, iusto et non iusto adiacebit. Hæc igitur, quemadmodum in Resolutorijs dictum est, sic sunt ordinata. Similiter autem se habebunt & si uniuersaliter nominis sit affirmatio. ut omnis est homo iustus, negatio huius, non omnis est homo iustus, omnis est homo non iustus, non omnis est homo non iustus. Tamen non similiter angulares ueras esse contingit. contingit autem aliquando. Hæ igitur duæ opposita sunt mutuo. Aliæ autem duæ ad non homo, quasi ad subiectum aliquid addictum. ut est iustus non homo: non est iustus non homo. est non iustus non homo: non est non iustus non homo. plures autem his non erunt oppositiones. Hæ autem extra illas, ipsæ secundum se erunt, ut nomine utentes eo, quod est non homo. In quibuscunq; autem est non conuenit, ut in eo quod est sanum esse, & ambulare, in ijs idem facit sic positum, ac si est adderetur. ut, sanus est omnis homo: non sanus est omnis homo. sanus est omnis non homo, non sanus est omnis non homo. non enim dicendum est non omnis homo, sed non, negationem ad id quod est homo, addendum est. Manifestum est autẽ ex eo quod est, ualet homo, non ualet homo: ualet non homo, non ualet non homo. hæc. n. ab illis differũt, eo quòd uniuersaliter non sunt. quare omnis, uel nullus nihil aliud consignificat, quam quòd uniuersaliter de nomine uel affirmationẽ uel negationem, ergo et reliqua eadem oportet apponi. Quoniam uerò cõtraria est negatio ei quæ est, omne est animal iustum, illa quæ significat, quod nullum est animal iustũ, hæ quidem mani

festum

festũ est, quòd nunquam erunt neq; ueræ simul, neq; in eodem his uerò opposita erunt aliquãdo: ut non omne animal iustũ est & est aliquod animal iustum. Sequũtur uerò et hæ, eã quidem quæ est, omnis est homo non iustus, hæc, nullus homo est iustus: illam uerò, est non omnis homo non iustus, opposita, quòd est aliquis homo iustus. necesse est. n. aliquẽ esse. Manifestum est autẽ etiã quod in singularibus si uerum est interrogantẽ negare, quòd & affirmare uerum est. ut putas nẽ, Socrates sapiẽs est? nõ. Socrates igitur est non sapiens. In uniuersalibus uerò non est uera quæ similiter dicitur: uera autem negatio est. ut putas ne, omnis homo sapiens est? non omnis igitur homo non sapiẽs est. hoc. n. falsum est. sed non, igitur omnis homo sapiens est, uerum est. hæc. n. opposita est: illa uerò contraria. Quæ uerò secundum infinita contra iacentes sunt nomina & uerba, ut in eo quod est non homo, uel non iustus, quasi negationes sine nomine & uerbo esse uidebuntur, sed nõ sunt. semper. n. uel uerã uel falsam esse necesse est negationẽ: qui uerò nõ homo dixit, nihil magis quam qui dicit homo, sed etiam minus uerus uel falsus fuit, nisi aliquid addatur. Significat autem est omnis non homo iustus, nulli illarum idem, nec huic opposita, quæ est, nõ est omnis non homo iustus. ea uerò quæ est, omnis non iustus nõ homo est, illi quæ est, nullus est iustus non homo idẽ significat. Trãsposita uerò nomina et uerba idem significãt: ut est albus homo & est homo albus. Nã, si hoc nõ est, eiusdem multæ erunt negationes. Sed ostensum est quòd una unius est. Eius. n. quæ est, est albus homo, negatio est, nõ est albus homo. eius aũt quæ est, est homo albus, si non eadem est ei quæ est, est albus homo, erit negatio, uel ea quæ est, non est non homo albus, uel ea quæ est, non est homo albus. sed altera quidem est negatio, eã, quæ est, non est non homo albus, eius, est non homo albus: altera uerò eius quæ est, est albus homo. quare erunt duæ unius. Quod igitur transposito nomine & uerbo, eadem sit affirmatio & negatio, manifestum est.

METHODVS.

Multiplicatis propositionibus secundi adiacentis, hoc loco ipse de tertio multiplicantur.

- *Quod mira ingenij acie aggreditur, et*
  - *Primo docet multiplicare huiusmodi in quibus ponitur uerbum*
    - *Substantiuum et asserit eas esse duplo plures quàm illa de secundo: Nam*
      - *Illa uariantur tantum penes subiectum finitum, uel infinitum.*
      - *Ista uerò uel*
        - *Penes prædicatum (subiecto tamē finito existente)*
          - *Finitum ut,*
            - *Homo est iustus*
            - *Homo nō ē iustus* — *Et istæ sūt ueræ affirmationes, et negationes.*
          - *Infinitū ut*
            - *Homo est non iustus.*
            - *Hō nō est nō iustus* — *Et istæ sunt ut priuationes.*
          - *Notat idē dici de uniuersalibus ut*
            - *Oīs homo est iustus. Nō oīs hō est iustus.*
            - *Oīs hō ē non iustus Nō oīs hō ē nō iustus* — *Aduertendum angulares istarum. i. contradictorias nunquam simul esse ueras: Indefinitas uerò aliquando, ut in materia contingenti.*
        - *ibi (Aliquales) Penes prædicatū (subiecto manente infinito)*
          - *Finitū ut*
            - *Non homo est iustus.*
            - *Nō hō nō est iustus* — *Vera sunt affirmationes & negationes.*
          - *Infinitū ut*
            - *Non homo est non iustus*
            - *Non homo nō est non iustus.* — *Sunt ut priuationes.*
    - *ibi (In quibuscunque autem) Adiectiuum & ait eas eo modo multiplicari quo illa de secundo; ut*
      - *Omnis homo ualet.*
      - *Omnis homo non ualet.*
      - *Omnis non homo ualet.*
      - *Omnis non homo non ualet.*
  - *ibi (non enim dicendum)*
    - *Primum: Cur supra, cùm propositionem aliquam infinitam reddidimus, nunquam negationem signo uniuersali apposuimus?*
      - *Respondet, quia nomen (ut sic dixerim) infinitabile, semper significare debet uniuersale, uel singulare: Sed signa non significant uniuersale; sed uniuersaliter; signa ergo non infinita redduntur; atq; illis non apponitur nota infiniti.*
    - *ibi (Quoniā uerò cōtraria) Secundum: quare angulares*
      - *Vniuersales nunquā sunt simul uera: ut*
        - *Omnis homo est iustus.*
        - *Nullus homo est iustus.*
      - *Respondet, quia nunquam una illarum potest stare cum æquiualente alterius: ut omnis homo est iustus, cum ista, omnis homo non est iustus, quæ huic æquiualet, Nullus homo est iustus.*
  - *Secundi[...]*

moueт dubia

Particulares sunt aliquando uera: vt — *Aliquis homo est iustus.* / *Nō oīs homo est iustus.*

Respondet, quia altera istarum potest stare cum æquiualente alterius: vt Non omnis homo est iustus, cum ista, Non omnis homo est non iustus, quæ huic æquipollet, Aliquis homo est iustus.

ibi (Manifestum est)
Tertium: cum iam dictum sit ex negatiua de prædicato finito: vt Nullus homo est iustus posse consequi affirmatiuam de prædicato infinito: vt Omnis homo est non iustus; meritò quæritur, nunquid ex omni interrogata negatiua possit adduci affirmatiua de prædicato infinito?

Respondet

In singularibus uerum esse: Nam si interrogetur, Putas ne Socratem sapientem esse? & responsum sit, Non, potest quidem inferri, Socrates ergo est non sapiens.

In uniuersalibus uerò minimè: Nam si interroges, Est ne omnis homo sapiens? in responsioneq; dicatur, Non, non sequitur, Omnis ergo homo est non sapiens: Sed rectius quidem, ergo non omnis homo est non sapiens. & causa est, quoniam interrogatio semper contradictoria interrogat: At huic, Omnis homo est sapiens, contradictoriè opponitur, Non omnis homo est sapiens; contrariè uerò, omnis homo est non sapiens. ergo &c.

ibi (illa uerò quoniam secundum)
Quartum: Quæritur, vtrum nomen, uel uerbum infinitum, negatiuè nomini, uel uerbo infinito opponatur?

Respondet, Non, Nam omnis negatio est uel uera, uel falsa; sed nisi aliquid illis addas non sunt nec uera nec falsa. quandoquidem nec nomen, nec uerbum finitum, cui magis illud inesse uidetur, per se sumptum uerum est, uel falsum: Illa igitur negatiuè non opponuntur.

ibi (significat autem)
Quintum: Cum negatiua de prædicato finito æquipolleat affirmatiuæ de prædicato infinito: Quæritur vtrum affirmatiua de subiecto infinito æquipolleat negatiuæ de subiecto infinito?

Respōdet, Non: vt
- *Huic, Omnis non homo est iustus, non æquipollet hæc, Omnis homo non est iustus.*
- *Huic, Omnis non homo non est iustus, non æquipollet hæc, omnis homo est iustus.*

Dicit tamen istas esse æquiualentes: vt
- *Omnis non homo est iustus.*
- *Nullus non homo nō est iustus.*

ibi (Transposita uerò nomina)
Sextum: cum supra aliquando adiectiuum nomen subiecto præposuerit: vt est iustus homo, nonnunquam uerò postposuerit: vt est homo iustus, iurè quæritur, Vtrum nomina uel uerba transposita idem significent?

Respondet idem profectò significare. Si enim nomina transposita uel uerba non idem significarent, uni affirmationi plures opponerentur negationes, cuius oppositum ipse in superioribus docuit. Huius rationis consequentiam, facilè exempla in contextu posita ostendunt.

ANNOTATIONES.

QVANDO autem est tertium adiacens appraedicatur dupliciter dicuntur oppositiones. Haec est, ut arbitror, horum uerborum sententia. Vt quando uerbum, *Est*, tanquam tertium adiacens in propositionibus appraedicatur, duplices his quae de secundo sunt oppositiones. quandoquidem praedicatum propositionum secundi adiacentis, cum esset uerbum non poterat infinitum reddi: At praedicatum tertij, cùm sit nomen, nihil erit impedimēto, quin finito & infinito diuidatur. Quare in illis, propositiones erunt centum quadraginta quatuor, atq; oppositiones septuaginta duae. In istis autem, propositiones ducentae octuaginta octo, & oppositiones centum quadraginta quatuor. quod si quis diligenter computauerit, ipsi erit obuiam.

Ex quibus hoc primum te excipere uelim, uerbum substantiuum in omnibus propositionibus posse dici adiacens: in illis autem de secundo, secundum: in illis uerò de tertio, tertium. Hoc tamen memoriae tenendum, in propositionibus de tertio adiacente, propriè illud uocari adiacens, quasi aliquid quod adiacet praedicato. nam si tantùm illud esset praedicatum, tunc non propriè diceretur adiacere; & sic esset propositio secundi adiacentis, non autem tertii: ut in exemplo, Socrates philosophus est, patet. Et hoc ad illud Aristotelis alludere uidetur, cùm inquit: *Vt praedicatum & de quo* 1 Prior. cap. 1. *praedicatur. aut apposito aut diuiso esse aut non esse.* Obseruandum hic praeterea est, uerbum partem praedicati tenere, ut supra etiam adnotauimus.

Dico adiacere nomen uel uerbum. Animaduerte Aristotelem uerbum, *Est*, nunc appellare nomen uel uerbum, iuxta illud in capite de uerbo: *Ipsa igitur secundum se dicta uerba nomina sunt* &c.

In affirmatione. Tanquā breuitatis amator negationem silentio inuoluit.

Vt priuationes. Animaduertendum, propositiones tertii adiacentis esse triplices, nempe simplices: ut homo est iustus, infinitas (quas Theophrastus ex transpositione appellauit) ut homo est non iustus, & priuatiuas ut homo est iniustus. Qua propter inquit, infinitas se habere ad consequentiam ut priuatiuae, simplices uerò nequaquā. Ad simplicem enim affirmatiuam consequitur negatiua tam infinita, quàm priuatiua: ut ad hanc homo est iustus, consequitur tam homo non est non iustus, quàm homo non est iniustus. Praeterea ad negatiuam simplicem: ut homo non est iustus, consequitur affirmatiua, uel infinita, uel priuatiua: ut, uel homo est non iustus, uel homo est iniustus. Quod minimè dici potest de propositionibus simplicibus, ut consideranti perspicuum erit. Sed de his accuratè magis ad calcem primi Resolutoriorum uolumnis differere attinet, quem locum paulo infra commemorabit Philosophus.

Quare etiam negatio. Quasi dicat cum duae sint affirmationes, altera praedicati finiti, altera praedicati infiniti, similiter duae erunt negationes.

Nota more graecorum in praepositionibus primo loco uerbum collocari, ueluti praecipuam partem propositionis: secundo uerò praedicatum, ut dignius

dignius subiecto; nouissimum autem ipsum esse subiectum: ut est iustus homo, non est iustus homo.

Quemadmodum in resolutorijs dictum est. Idest in calce primi Priorum. Ex quo tu collige non posse libros istos resolutorios dici quos præ manibus habemus, alioquin non dixisset Philosophus, ut in resolutoriis simpliciter.

Tamen non similiter angulares ueras esse contingit, contingit autem aliquando. Si hæc uerba (quamuis reprobantibus multis) eo modo interpretentur, quo nos in methodis aperuimus, clara & perspicua erunt. Quare uide.

Hæ igitur duæ opposita sunt mutuo. Explica sic: hæ enũciationes prædictæ, siue indefinitæ, siue uniuersales sint, duas habent oppositiones, alteram inter affirmationem finitam & eius negationem; alteram uerò inter affirmationem infinitam & eius negationem.

Hæ autem extra illas &c. Idest propositiones de subiecto infinito ualde differre à propositionibus de subiecto finito. Siquidem illæ, non uero, sed infinito nomine utuntur: Istæ autem ex uero nomine construuntur.

Non enim dicendum est non omnis homo. Memoria tenendum est, quod nota negationis addita signo, negat quantitatem: adiuncta uerò uel subiecto uel prædicato, propositionem infinitam reddit: sed sociata uerbo negat qualitatem. i. affirmationem.

Ergo & reliqua eadem oportet apponi. Idest quæ in propositione siue uniuersali siue particulari (signis ademptis) eadem esse necesse est; subiectum scilicet, prædicatum, & copulam, tanquam propositionis essentiam constituentia: signum uerò est quid aliud; quapropter non inest ipsi uis, propositionem ut reddat infinitam.

Hæc enim opposita est. i. contradictoria, sumit enim genus pro specie.

Sed etiam minus uerus uel falsus fuit. Minus, quia uerũ & falsum in cõpositione reperiuntur, ut dixit in Proæmio; propinqua uerò magis compositioni est dictio finita, quàm infinita. Infinita enim aliquid nec ponit nec ãstruit, quare per se sumpta uerum uel falsum minus significat, quam finita.

Transposita uerò nomina &c. Apud interpretes hoc loco quæritur, Si transposita & nomina & uerba orationem commutent nec ne: Cùm aliquando uideatur ipsa mutari nominibus transpositis: ut omnis homo est animal, omne animal est homo. Idemq; accidere uerbo ipso transposito existimãt, ut homo est animal rationale, homo animal rationale est. Cui quidem & rectissimè respondent, cùm in rebus naturalibus, tum in enunciatione duplicem inueniri transpositionem seu transmutationem, secundum locum tantùm, & secundum locum & formam. Ideo ad quæstionem dicunt, quod transpositio secundum locum & formam facta, propositionem uariat, non autem si secundum locum tantùm fuerit: ut hic in contextu habetur, ubi de hac postrema transpositione loquitur. Quapropter perpetuo ibi obseruandum erit, quod in enunciationibus, in quibus loco tantùm partes mutantur, subiectum (ut Ammonius inquit) exacta trãsmutatione, remanet subiectum, & prædicatum, prædicatum. Quod certè non euenit quotiescunque

que transpositio fit formalis.formalis enim transpositio hæc est: Omnis homo est animal, omne animal est homo.ubi uides quod homo in prima propositione est subiectum, in postrema uerò prædicatum.Idq́, nobis dilucidissimè signum uniuersale ostendit cùm semper subiecto inhæreat, res autem longè aliter se habet in transmutatione loci tantùm, ut omnis homo est animal, animal est omnis homo.hic enim facilè cerni licet in utraque homi nem subiici;quo Ammonius doctissimè docet.

TEXTVS.

At uerò unum de pluribus, uel plura de uno affirmare uel negare, nisi sit unum aliquid quod ex pluribus significatur, non est affirmatio neque negatio una. Dico autem unum, non si unum nomen positum sit, non sit autem unum aliquid ex illis. ut homo est fortasse & animal & bipes & mansuetum, sed ex his unum fit. ex albo autem, & homine, & ipso ambulare non est unum. Quare nec si unum aliquid de his affirmet aliquis, erit affirmatio una: sed uox quidem una, affirmationes uerò multæ. nec si de una ista: sed similiter multæ. Si ergo dialectica interrogatio responsionis est petitio, uel propositionis, uel alterius partis contradictionis: propositio uero contradictionis est unius pars: non erit una responsio ad hæc. neq; enim interrogatio una, neq; etiam si sit uera, dictum est autem de his in Topicis. Simul autem manifestum est, quod nec hoc ipsum quid est, dialetica interrogatio est, oportet enim datum esse ex interrogatione, eligere, utram uelit contradictionis partem enunciare: sed oportet interrogantem determinare, utrum hoc sit homo, an non hoc. Quoniam uerò hæc quidem prædicantur composita, ut unum omne prædicatum fiat, eorum quæ extra prædicantur: aliæ uerò non: quæ est differentia? De homine.n. uerum est dicere, et extra animal extra bipes: et hæc ut unum & hominem, & album: & hæc ut unum. Sed non si coriarius est, & bonus: etiam coriarius bonus. Si enim quoniam utrunque uerum, esse oportet & simul utrunque, multa incon-

uenientia

uenientia erunt. De homine enim & hominem uerum est dicere & album:quare & omne.rursus si album ipsum, & omne quare erit homo albus albus, & hoc in infinitum. & rursus musicus albus ambulans, & hæc eadem frequenter implicata in infinitum. Amplius, si Socrates, Socrates est, & homo: & Socrates Socrates homo. & si homo & bipes, erit homo bipes. Quod igitur, si quis simpliciter dicat complexiones fieri, multa accidit dicere inconuenientia, manifestum est. Quem admodum autem ponendum est, hunc dicimus. Eorum igitur, quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcunque secundum accidens dicuntur, uel de eodem, uel alterum de altero, hæc non erunt unum. ut homo albus est, & musicus: sed non est unum album & musicum. accidentia enim sunt utraq;. Nec si album, musicum uerum est dicere, tamen non erit album musicum unum aliquid: secundum accidens enim album musicum. Quare non erit album musicum unum aliquid. quocirca nec coriarius bonus simpliciter: sed animal bipes. non enim secundum accidens. Amplius, nec quæcunque insunt in altero, quare neq; album frequenter: neq; homo, homo animal est uel bipes. insunt enim in homine animal & bipes. Verum est autem dicere de aliquo & simpliciter: ut aliquem hominem hominem, aut aliquem album hominem, hominẽ album; non autem semper. Sed quando in adiecto quidem aliquid oppositorum insit, quod consequitur contradictio, non uerum, sed falsum est: ut hominem mortuum, hominem dicere. quando autem non insit, uerum. Aut, quando insit quidem, semper non uerum est: quando uero non insit, non semper uerum est. ut Homerus est aliquid, ut Poeta, utrum igitur est? an non. secundum accidens enim prædicatur est, de Homero (quod enim est Poeta) sed non secundum se prædicatur de Homero ipsum est. Quare in quibuscunq; prædicationibus neque contrarietas inest, si definitiones pro nominibus dicantur, &

ſecundum ſe prædicentur, & non ſecundum accidens, in his aliquid & ſimpliciter uerum erit dicere. Quod autem non eſt quoniam opinabile eſt, non eſt uerum dicere eſſe aliquid. opinio enim eius eſt, non quod eſt, ſed quod non eſt.

METHODVS.

Poſtquam de oppoſitione ac conſequentia propoſitionum terminos ſimplices uariatos ſecundum finitum & infinitum habentium determinauit, hic de conſequentia propoſitionum, quarum termini ſunt ſimplices uel compoſiti docliſſimè agit.

[margin, cut off:] ... ac ... ſſi- ... ſtat

- *Primò duo præmittit quorum*
  - *Primũ eſt, enunciationẽ extremũ cõpoſitũ habentem, eſſe uel*
    - *Unam.*
    - *Plures, & illam eſſe aſſerit, in qua*
      - *Affirmatur et negatur unum de pluribus.*
      - *Affirmãtur et negantur plura de uno.*
    - *Dummodo ex illis pluribus non fiat unum, non modo uoce, ſed eſſentialiter. Nam propoſitio in qua ponuntur plura de uno*
      - *Eſſẽtialiter: ut homo eſt animal manſuetum bipes, erit una.*
      - *Accidentaliter uerò; ut homo eſt albus ambulans; non erit una, ſed plures.*
  - *Secũdũ ſũt duæ concluſiones,*
    - *Prima eſt, interrogationem dialecticam eſſe unam & non plures. Nam interrogatio plures eſt interrogatio plurium partium contradictionis, nec ad illam unum tantum reſponſum dari debet: ſed dialectica interrogatio, unius tantum partis contradictionis eſt; & cũ unum ſolum reſpondere debes: Vna igitur erit, & non plures.*
    - *Secunda eſt: quæſtionem quid eſt, non eſſe dialecticam: Quoniam ad quæſtionem dialecticam indifferenter reſpondetur per utranque partem contradictionis: At ad quæſtionem, quid eſt homo, affirmatiua tantum oratione reſpondetur: non igitur eſt quæſtio dialectica*
- *Secundũ, rẽ ipſam aggreditur, duaſq; dubiat obiectiones.*
  - *Primã, quam*
    - *ibi (quoniã uerò) Mouet, nẽpe cur eſt quod ſi diuiſis ad coniũcta conſequẽtia aliquando ualet, et aliquãdo non? Nam*
      - *Valet: ut*
        - *Homo eſt animal, et homo eſt bipes, ergo homo ẽ animal bipes.*
        - *Socrates eſt homo, & eſt albus, ergo Socrates eſt homo albus.*
      - *Nõ, ualet, nã ſequeretur, uel*
        - *Falſum: ut Socrates eſt Cytharœdus, & eſt bonus, ergo eſt Cytharœdus bonus.*
        - *Proceſſus in infinitum: ut*
          - *Socrates eſt homo, et albus, ergo eſt homo albus; rurſus Socrates eſt homo albus, et albus, ergo homo albus albus. et ita in infinitum nugatio explicita.*
          - *Socrates eſt homo, & muſicus, & albus, & ambulans: non ualet ergo Socrates eſt homo, muſicus, albus, ambulans. his .n. ſæpius cõiunctis in infinitũ creſceret nugatio explicita.*
        - *Nugatio implicita: ut*
          - *Socrates eſt Socrates & homo, ergo Socrates eſt Socrates homo.*
          - *Socrates eſt homo, & bipes, ergo Socrates eſt homo bipes. Cõmittitur enim negatio, cũ ſemper in ſpecie intelligatur differẽtia.*
    - *ibi (Quẽadmodũ autẽ) Soluit, cum ualeat conſequentia tribus ſeruatis, ſcilicet*
      - *Prædicata diuiſa non accidere ſubiecto.*
      - *Alterũ illorũ nõ accidere reliquo.*
      - *Vnũ non includi in altero.*
      - *Nam non ualet.*
        - *Socrates eſt albus & muſicus, ergo Socrates eſt albus muſicus.*
        - *Socrates eſt Philoſophus, & bonus, ergo eſt bonus philoſophus.*
        - *Socrates eſt homo & animal, ergo eſt homo animal: uel Socrates eſt homo & bipes, ergo eſt homo bipes.*

Primò

- *Secundum quae est, quonam pacto ex praedicato cõiũcto diuisa sequatur: ideo*
  - *Primò explanat exemplo illa sequi. ualet enim, Socrates est homo albus, ergo Socrates est homo, & albus.*
  - *Secundo ostẽdit ualere duobus animaduersis*
    - *Primò, in prædicato non esse contradictionẽ. Nã nõ ualet, Socrates est homo mortuus, ergo Socrates est homo: opponuntur enim homo & musicus.*
    - *Secundo mouet quæstionẽ ex cuius solutione patet alia condicio.*
      - *Nã in mediũ uocatur, nũquid ualeat semper à coniũcto ad diuisa, cũ nõ sit contradictio in prædicato?*
      - *Respõsio est quod nõ: nõ enim ualet, Homerus est Poeta, ergo Homerus ẽ: Iccirco oportet etiã nullũ prædicatorũ prædicari per accidens. Nã esse quatenus respicit Poetã prædicatur de Homero per accidens, per se uerò quatenus respicit ens, & existentiam.*
    - *Dubitat tamẽ Aristoteles contra utrãq; condicionẽ. &*
      - *Primò cõtra primã: Nã quomodo sciuero ego, quãdo sit cõtradictio ĩ prædicatis?*
      - *Respondet quod hoc exploratũ erit, cũ prædicata illa definias, atq; animaduertas, nũquid illa ĩter se se aduersentur.*
      - *Secũdò cõtra secundã. Nã etiã si falsũ sit Homerũ esse, uerũ est tamẽ ipsum opinione. Respõdet quod esse in opinione, nõ est esse ipsius, sed suum non esse.*

ANNOTATIONES.

DVBITAT Ammonius, cur hoc loco Aristoteles discutiendum proponat; quæ nam sit enunciatio, & quæ plures. multoties enim de hoc (ut supra uidimus) uerba fecit Philosophus, quare frustra idẽ repetere uidetur. Huic dubitationi bifariam respondet, Primùm quidem in superioribus de hoc meminisse Philosophum, cùm de propositionibus secundi adiacentis loquebatur; hic uerò cùm de propositionibus tertii adiacentis agat, rursus hoc docet; quia non est inconueniens idem in diuerso propositionum genere, & in alio proposito explanare. Quam quidem solutionem, licet probabilem putet, posteriori tamen quam affert longè postponendam existimat: posterior uerò est, cùm in superiori capite dixerit, interroganti de aliqua propositione simplici falsa debere respõderi per negationem, *Non*, nũc quod illic non exactè sumptum est, explicare, atque ad uiuum resecare, uoluit, ostendendo illud non semper ueritatem præseferre. ubi. n. propositio interrogata non est una, sed plures, unum tunc responsum dare non debemus. Quare hic rursus de unitate ac pluralitate propositionum sermonem reassumere non fuit alienum à ratione.

Vnum de pluribus. Hoc propter æquiuoca protulit.

Vel plura de uno. Quæ uel tantùm conceptum unum simplicem, uel plures important: Primo modo est definitio, quæ idcirco non plures propositiones, sed unam tantum constituit: secundo modo sunt accidentis prædi

cata, ut homo est albus ambulans. Quare propositio in qua hæc prædican
5. Meta. tur, non una sed plures existit. ambulans enim & album (autore Aristotele) unum nisi per accidens euadunt, quatenus scilicet ambo uni accidunt. *Fortasse*. Quia non propria hæc est hominis definitio, hoc addidit. sed de hoc supra.

Sed uox quidem una. Nota illã dici unam uocem orationis serie ac forma, & ut conceptum non esse unum aperiat, hoc affirmauit.

Sed ex his unum fit. i. unum definitione. Quot autem modis unum dicatur,
5. Meta. multis in locis ipse Aristoteles docuit.

tex. 12. 10 *Si ergo dialectica interrogatio* &c. Hoc quidem difficultatem parit, quomo-
Metaph. tex. 1. et. do hic Aristoteles dialecticam interrogationem tantùm interrogare alte-
Topic. ram contradictionis partem dicat, cum alibi eam totam contradictionem
cap. 6. quærere asserat, sibi met ergo dissimilis esse uidetur. Sed hoc facilè diluere
1. Priorũ ualebimus, si interrogare totam contradictionem bifariam accipi posse di
cap. 1. camus, uel actu, uel potestate. Dialectica igitur actu alteram contradictio nis partem interrogat, ut hic dicitur: uirtute uerò utranq;, & hoc est quod alibi Aristoteles docuit.

1. Top. cap. 3. *Quod nec hoc ipsum quid est dialectica interrogatio est*. Hoc fortasse in dubium aliquis reuocauerit, Cùm huic cõtrariũ alias ipse Aristoteles asseruerit, uidelicet dialectica problemata esse de proprio, accidente, genere, & quod quid est. At responderi potest, quid est, dupliciter capi nẽpe simpliciter, & cũ nota interrogationis, ut cùm quæritur, Vtrũ animal rationale definitio sit hominis, & quid est homo: nã hoc secundo modo nõ licet de ipso quid est dialecticam formare interrogatiouem, primo uerò sic. Quod etiam Philoso-
Loco commemorato. phus in Topicis annuit, cùm ait: *Nemo autem nos opinetur dicere, quod unumquodque horum secundum se dictum propositio uel problema sit, sed quod ex his problemata, & propositiones fiunt*. Vt autem res ipsa magis eluceat, hoc Ammonii semper memoria repetendum existimo, duplicem sanè esse interrogationem, alteram dialecticam & ad differendum accommodatam, ad quam per, *Vtique*, uel, *Non*, responderi licet, de qua Philosophus hic & in Topicis loquitur.
Loco citato. Alteram uerò percunctatricem, ad quam integra ac perfecta oratione respondetur, quæ iterum in duas partes diuidi potest, cùm altera ad colloquia spectet, quæ quotidie sunt in ore omnium, iu qua lubentius grãmaticus quàm ipse logicus uersatur, altera uerò doctrinalis dicatur, quæ tantum in tradendis disciplinis locum habet. Neque hæc omnino diuisione
tex. 1. caret, quando eius species est, quæ nihil à quæstione demonstratiua distat, de qua Aristoteles in secundo Posteriorum agit: altera uerò quæ ne per unguem quidem à propositione demonstratiua, de qua in primo posteriorum, differt. De his autem plura desiderantes, ea si uideant quæ in locis
tex. 85. annotatis habentur, sibi planè satisfacere poterunt. Cæterum iam obie-
1. Priorũ ctio emergit. nam si (teste Aristotele) propositio dialectica à demonstrati-
cap. 1. ua differt, quia hæc interrogat, illa uerò minime, falsum erit, quod iam statuimus, dari interrogationes demonstratiuas, seu doctrinales. Ad hoc re-

spondери

ſponderi poſſe exiſtimauerim, ſi dicamus ibi;Philoſophum non omnino confirmare demonſtratiuam propoſitionem nullo modo interrogare, ſed eo tantùm modo, quo dialecticam. Dialectica enim ut mentem reſpondentis teneat, interrogat,qua habita ſiue uera ſiue falſa ſit,in utramq; partem ex opinione reſpondentis ratiocinatu:,demonſtratiua uerò, docendi tantùm cauſa interrogat, & ut à reſpondente partem ueram accipiat.

Oportet enim datum ex interrogatione eligere. i.oportet enim data interrogatione eligere.

Sed oportet. Sed,pro, quando, legitur. ἀλλὰ enim græcè,ſed, & quando, uerti poteſt.& ſi Quando uertas, uerba aperta erunt.

Quoniam uerò hæc quidem &c. Hanc uerborum ſeriem ſic conſtruendam puto:Quoniam eorum quæ extra, ideſt,ſeiunctim, prædicantur,hæc quidem compoſita, ideſt, ita ſimul prædicantur,ut ex omnibus unum prædicatum fiat, alia uerò non, quæ eſt differentia?

Quod ſi quis ſimpliciter dicat. i. ſeiunctè dicat.

Complexiones fieri. i. coniunctim concludi.

Sed quando in adiecto quidem aliquid oppoſitorum,quod conſequitur contradictio. Animaduertendum, quod quãquam per hæc quodammodo ſumi poſſe uideatur,non ex omnibus oppoſitis contradictiones ſubſequi:illud tamen ſemper uerum exiſtimãdum eſt.Cùm enim quatuor ſint oppoſitorum genera, ut in Prædicamentis habetur:Relatiua,Priuatiua,Cõtraria,& Cõtradictoria;in omnibus ſi uni oppoſitorũ notã negationis addas, contadictionem ipſam conſtitues:ut in contrariis,albo ſcilicet & nigro, quod non album etiam dicitur, facilè cernere licet. & hoc idem de reliquis fidem facit. *c. de Oppoſitis.*

TEXTVS.

His uerò determinatis conſiderandum eſt, quemadmodum ſe ſe habent negationes & affirmationes ad ſe inuicem,quæ ſunt de poſſibili eſſe & non poſſibili,et de contingenti,et non contingẽti,et de impoſſibili & neceſſario.habent.n.aliquas dubitationes.Nã ſi eorũ,quæ cõplectuntur,illæ ſunt ſibi inuicẽ oppoſitæ cõtradictiones,quæcunque ſecundum eſſe & non eſſe diſponuntur:ut eius quæ eſt, eſſe hominem; negatio eſt, non eſſe hominem, non ea quæ eſt,eſſe non hominem: et eius quæ eſt,eſſe album hominem, ea quæ eſt,non eſſe album hominem,ſed non ea quæ eſt,eſſe non album hominem:(ſi enim de omni aut affirmatio,aut negatio eſt,lignum erit uerum dicere eſſe non album hominem:)quòd

ſi hoc

si hoc modo et in quibuscunq; esse non additur, idē faciet quod pro esse dicitur: ut eius quæ est, homo ambulat; non hæc, ambulat non homo negatio erit; sed hæc, non ambulat homo. nihil enim differt dicere hominem ambulare, uel hominem ambulantem esse. Quare si hoc modo ubiq; & eius quæ est, non possibile esse, negatio, erit possibile non esse, sed non ea quæ est, non possibile esse. Videtur autem idem posse & esse & non esse. omne enim quod est possibile diuidi, uel ambulare, et non ambulare et non diuidi possibile est. Ratio autem est: quoniam omne quod sic possibile est, non semper in actu est. quare inerit ipsi etiam negatio. potest enim & non ambulare, quod est ambulatiuum, & non uideri quod est uisibile. at uerò impossibile est de eodem oppositas ueras esse affirmationes & negationes. non igitur eius quæ est possibile esse, negatio est hæc, possibile non esse. Contingit enim ex his, aut idem affirmare & negare simul de eodem, aut non secundum esse uel non esse, quæ apponuntur fieri affirmationes & negationes. Si ergo illud impossibile est, hoc erit magis eligendum: est igitur negatio eius quæ est, possibile esse, ea quæ est, non possibile esse, sed non ea quæ est, possibile non esse. Eadem quoq; ratio est & in eo quod est contingens esse: etenim negatio eius est, non contingens esse, & in alijs quoq; simili modo, ut in necessario, et impossibili. Fiunt enim quemadmodum in illis esse, & non esse appositiones, subiecta uerò res, hoc quidem album, illud uero homo: eodem quoq; modo hoc in loco esse quidem & non esse, ut subiectum sit, posse uerò & contingere appositiones sunt, determinantes (quemadmodum in illis esse & non esse) ueritatem & falsitatem, similiter hæ in eo quod est, esse possibile, & esse non possibile. Eius uerò quæ est, possibile, & esse non possibile. Eius uerò quæ est, possibile non esse, negatio est, non ea quæ est, non possibile esse, sed ea quæ est, non possibile non esse, & eius quæ est, possibile esse, non ea quæ est, possibile non esse, sed ea quæ est, non possibile esse. Quare & sequi se se

inui-

inuicem uidebuntur, poßibile eße, et poßibile non eße. idem enim poßibile eße, & non eße. non. n. contradictiones sunt sibi inuicem huiusmodi poßibile eße, & poßibile non eße. Sed poßibile eße, & non poßibile eße nunquam simul in eodem uera sunt. opponuntur enim neq; ea quæ est, poßibile non eße, & non poßibile non eße nunquam simul in eodem uera sunt. Similiter autem & eius quæ est, necessarium est eße, negatio non est ea quæ est, necessarium non eße, sed ea quæ est, non necessarium eße. eius uero quæ est, necessarium non eße, ea quæ est, non necessarium non eße. & eius quæ est, impoßibile eße, non est ea quæ est impoßibile non eße, sed hæc non impoßibile eße. eius uero quæ est, impoßibile non eße, ea quæ est, non impoßibile non eße. Vniuersaliter uerò (quemadmodum dictum est) eße quidem & non eße oportet ponere quemadmodum subiecta: negationem uerò & affirmationem hæc, facientem, ad eße & non eße apponere. & has oportet putare eße oppositas dictiones: poßibile, & non poßibile: contingens, non contingens: impoßibile, non impoßibile: neceßarium, non neceßarium: uerum, non uerum.

METHODVS.

Postquam loquutus est Philosophus de propositionibus inexistentibus, hic determinat de consequentia ac ordine modalium. At prius de earum oppositione diligentissimè tractat.

- *De poßibili.*
- *De contingenti.*
- *De necessario.*
- *De impoßibili.*

Duoq; hic collocat.

- *Primò eius sententiam. cum enim actum sit de propositionibus de inesse, quomodo sumatur contradictio in modalibus indagandum existimat. in illis enim quamplurima sunt obiectiones: modales uerò sunt quadripartita, nam sunt uel*
- *Primò disputatiue procedit, &*
  - *ibi (Nam si eorum)*
  - *Primo probat ad efficiendum contradictionem in modalibus negationem addendam esse uerbo Nam ut res se habet in inexistentibus, ita & in modalibus: Si in inexistentibus negatio uerbo additur: ergo & in modalibus. Nam ista sunt inexistentes contradictoria, uidelicet*
    - *Homo est albus, homo nõ est albus, nõ autẽ, homo est albus, homo est nõ albus, alioquin cõtradictoria essent simul falsa, cũ tamẽ in omni materia diuidant uerum et falsum: et hæ sũt falsæ; lignũ est albus homo, lignũ est nõ albus hõ, cũ sint contradictoria mõ prædicto.*
    - *ibi (Quare si hoc modo)*
    - *Similiter ĩ illis ĩ quibus ponitur uerbũ adiectiuũ loco subiecti: ut ambulat homo, nõ ambulat*

bulat hō: nō autē, ambulat nō hō: cū hoc sit ac si dicas, hō ābulās est, hō nō ambulās est: quæ propter prior quæstio in mediū reuocabitur.

Secundò ueritatē decernit, &

ibi (uidetur autem idem posse)
Secundò oppositum probat: Nam si in contradictorijs modalibus addēda esset negatio uerbo, contradictoriæ essent simul ueræ. cum possibile enim nō sit in actu, sed in potentia ad utrumlibet uera erunt tum.

Socrates potest ambulare, Socrates potest non ambulare.
Possibile est hanc tunicam incidi, possibile est hanc tunicam non incidi.

Quare concludit aut contradictorias esse simul ueras, aut in modalibus negationem addi uerbo.

ibi (Si ergo illud)
Primò probat negationem in modalibus addendā esse modo: Quoniam in modalibus construenda est contradictio, aut per negationem uerbi uel modi: Non uerbi (ut iam habitum est) ergo modi. quare sic erunt locandæ contradictiones modalium, scilicet

Possibile est esse, Non possibile est esse.
Cōtingens est esse, Non contingens est esse.

Hoc idem euen it, et in necessario, et impossibili.

ibi (Fiunt enim quemadmodum)
Secundò soluit argumentum, quo supra ostendit negationem addendam esse uerbo: Sicut enim se habet esse & non esse in propositionibus inexistentibus, ita se habet modus in modalibus: Sed in inexistentibus, esse & non esse, sunt appositiones uerum & falsum terminantes; subiectum uerò & prædicatum dicuntur res subiectæ: In modalibus ergo modi erunt appositiones; & esse & non esse erunt res subiectæ. An in existentibus addita negatione ipsi esse & non esse, construebatur contradictio: In Modalibus ergo opponenda erit modis. Quod quidem exemplis explicat. Nam.

ibi eius uerò)
Huius possibile est non esse, contradictoria est, non possibile est non esse: non autem, possibile est esse.
Huic uerò possibile est esse, contradicit hæc, non possibile est esse: non autem hæc, possibile est non esse.

ibi (uniuersaliter uerò)

Quare hæc opponuntur.
Possibile. Non possibile.
Contingens. Non contingens. Impossibile. Non impossibile.
Necessarium. Non necessarium. Verum. Falsum.

ANNOTATIONES.

NON ab re quidem Aristoteles ipse hoc in loco ad modales propositiones aggreditur. ordine enim doctrinæ simpliciora compositis ipsis ante ferenda sunt, & partes natura toto sunt priores. Quare cum modales propositiones, de quibus supra satis superq; uerba fecit, modo carentibus magis sunt compositæ, non mirum si de his in postremo loco differere uoluit. Vt uerò planè ea intelligere posſimus, quæ ad huiusmodi propositionum doctrinam attinet, nonnulla antea nouiſſe neceſſe eſt. Inter quæ illud primùm ſe offert, quod modus (ut græci notant interpretes) eſt uox, quæ quonam pacto prædicatum ſubiecto inſit denotat; quæ quidem uox ſi propoſitionibus ſimplicibus ſecundi aut tertij adiacentis adiungatur, ipſas modales reddit: ut poſſibile eſt hominem ambulare & huiuſmodi. quot autem ſint modi, Ariſtoteles in contextu aperit, cum ait: *Quæ ſunt de poſſibili eſſe, & non poſſibili, & de contingenti & non contingenti, & de impoſſibili & neceſſario.* Ex quibus modos eſſe quatuor colligere licet, poſſibilem nimirum, contingentem,

gentem, impossibilem, ac necessarium. Cùm uerò modi infiniti ferè esse conspiciantur: ut pulchrè, sapienter, benè, malè, uerum, & falsum, & similia: merito profectò in medium se se illa obiectio offert, cur quattuor tātum hoc loco Aristoteles posuerit. Quæ quam facilè ab Ammonio soluitur, qui hosce quatuor tantum dixisse Aristotelem arbitratus est, quia longè uniuersales sunt, & ipsi naturæ rerum familiarissimi, ac sæpe usui ueniūt: cum satis pateat præter dictos modos, alios etiam Aristotelem nouisse, quos nunc breuitatis causa omisit. ut dilucidissimè uerba illa in contextu indicant, quæ sunt: *Et has oportet putare esse oppositas dictiones: possibile, & non possibile, contingens, non contingens, impossibile necessarium, non necessarium, uerum non uerum.* Cæterum hoc loco ipse Ammonius accuratissimè perscrutatur, numquid *Solum, & inexistens* sint modi. nec ne? quod tandem negat: at quibus rationibus hoc contendat, satis profectò prolixè apud eum est cernere. Ponenda est hic etiā breuiter differentia qua modus à materia secernitur: quā quidē nō facilè est cognoscere, cùm materia & possibilis & impossibilis & contingēs & necessaria dicatur. græci tamen eā explanare enituntur, dicentes propositionem sine materia fieri non posse; absque modo uerò posse fieri. asserunt præterea materiam tantum intellectu cognosci ut cùm dicis, homo est rationalis; modum autem in enunciatione explicari, ut homo necessariò respirat, & homo contingenter ambulat. Postremò materiam in rerum natura, quæ in propositionibus inueniuntur spectari; modum uerò in ipsa prolatione, naturam tenere. His ergo sic habitis unusquisq; paruo cùm negocio hæc seiungere ualebit. Vt autem modos ipsos magis ad uiuum resecemus, illud extremum perpendendum existimo; quid inter contingens & possibile intersit, cùm hæc ferè idem esse uideantur ad quod quidem Ammonius, si strictius possibile sumas, à contingenti non differre, respondit: sin uerò latius, tum de contingenti tum de necessario dici. quam profectò solutionem ex Philosophi uerbis ipse Ammonius sumpsit, ut infra patebit. Sed iam his breuiter de propositionū modis adnotatis postulare res ipsa uidetur, ut ad modales propositiones deueniamus. De quibus hoc unum considerandum duxi; an quod hic Philosophus concludit ueritatem habeat nec ne: Quod scilicet modales negationes fiant adiuncta negatione modo. contrarium enim ipse alibi statuisse uidetur, cum hanc propositionem negatiuam esse pro comperto ducat: Necesse est nullum B esse A, in qua quidē propositione negatio uerbo, non autem modo opponitur. Hæc obiectio quanquam multis modis possit deleri, (ex sententia Ioannis grammatici) tamen sic ipsam rectè solui posse credimus, quod aliud est necessariam negationem, aliud uerò necessariæ negationem dicere. cum enim necesse est hominem esse animal profero, negationem necessariæ propositionis assero: cum uerò necesse est hominem non esse equum, necessariam negationem commemoro. Quare hoc stante dico, hic Aristotelem de necessariæ negatione, in libro uerò Priorū de necessaria negatione uerba facere. & ratio est, quia prima oppositio modum tantum negat. i. necessarium

1. Prior cap. 3. Loco nuper citato

sarium, non decernit tamen cuiusnam sit modi siuè contingentis, siue alterius, quod in hoc libro percipi satis est: Secunda uerò, propositionis modum terminat, ut consideranti facilè obuiam erit. Quare cum in libro Priorum, de propositionum conuersione agatur, ut syllogismos respiciunt, quibus determinatè conclusionum delectus habetur, ibi de ea Aristoteles sermonem habuit. Numerum etiam propositionum hic quidem locus desideraret, nisi de hoc græci interpretes accuratissimè lõga orationis copia pertractarent. in quo exactissimè disputantes tradiderunt simul omnes, quæ in libro de interpretatione habentur contradictiones mille esse quingẽtas & duodecim propositiones his duplo plures, nempe tria millia & uiginti quatuor. sed de his hactenus.

Habent enim aliquas dubitationes. Quid iam cogit, ut de ipsis agat, ostendit. *Quoniam omne quod sic possibile est.* addidit particulam, Sic, ut non de omni possibili loqui denotet, sed de eo quod est: ut diuidi & ambulare, quod non semper actu reperitur. sed de hoc infra.

Fiunt enim quemadmodum in illis esse, & non esse appositiones, subiecta uerò res, hoc quidem album, illud uerò homo, &c. Notandum uerbum est in propositione appellari appositionem respectu materialium partium, quæ sunt subiectum & prædicatum, quas res subiectas esse asseruit. Nam ipsum uerbum propositionum inexistentium pars est formalis, & idcirco ad ea quæ Philoso-
1. Prior. cap. 1. phus alias de uerbo dixit quodammodo alludere uidetur, cum ait: *Aut apposito, aut diuiso esse uel non esse.* In propositionibus uerò modalibus longè aliter res sese habet. Nam in illis, esse & non esse, simul cum prædicato, res subiectæ existunt, modi uerò sunt siue appositiones, siue prædicationes, siue pars formalis: ut qui propositionibus illis modum imponant, & moderent. Ideo iure Aristoteles illis (ut græci interpretes aiunt) tanquam partibus præstantioribus negationem addendam edocuit. Cætera uerò ita dilucidè methodus ipsa aperit, ut his aliquid addere uanum esse existimarim.

TEXTVS.

CONSEQVENTIAE uerò secundum rationem fiunt, cùm ita ponuntur. illam enim quæ est possibile esse, sequitur ea quæ est, contingit esse: & hæc conuertitur illi, et non impossibile esse et non necessarium esse. illam uerò quæ est possibile non est, & contingens non esse, ea quæ est, non necesse non esse, & non impossibile non esse. illam autem quæ est, non possibile esse, & non contingens esse, ea quæ est, impossibile esse, & necesse non esse. illã uerò quæ est, non possibile non esse, & non contingens non esse, ea quæ est, im

posſibile non eſse,& neceſsarium eſse. conſideretur autem ex ſubſcriptione,quemadmodum dicimus. Hæ igitur impoſsibile & non impoſsibile eam quæ eſt contingens & poſsibile, & non contingens & non poſsibile,ſequuntur quidem contradictoriè: ſed conuerſim.eam enim quæ eſt poſsibile eſse, negatio impoſsibilis ſequitur,quæ eſt,non impoſsibile eſse. negationem uerò affirmatio. nam illam,non poſsibile eſse,ea quæ eſt,impoſsibile eſse. affirmatio enim eſt impoſsibile eſse: non impoſsibile uerò negatio.Neceſsarium uerò quemadmodum ſe habet, conſiderandum eſt.Manifeſtum eſt enim quòd non eodem modo ſe habet,ſed contrariæ ſequuntur,contradictoriæ autem ſunt extra non enim eſt negatio eius, quæ eſt,neceſse non eſse,ea quæ eſt,nõ neceſſe eſſe: contingit enim ueras eſſe utraſq; in eodem. quod enim eſt neceſſarium non eſſe,non eſt neceſſarium eſſe. Cauſa autem huius eſt, cur non ſequitur neceſſarium ſimiliter cæteris:quoniam contrarie,impoſsibile eſſe,neceſsario redditur idem ualens. nam quod impoſsibile eſse,neceſſe hoc non quidem eſse,ſed potius non eſſe.quod uerò impoſsibile non eſse, hoc neceſſarium eſſe.quare ſi illa ſimiliter ſequuntur poſsibile & non poſsibile: hæc, è contrario: quoniam non ſignificant idem neceſſarium & impoſsibile: ſed.(quemadmodum dictum eſt) conuerſim. An certè impoſsibile eſt ſic poni contradictiones neceſſarij. nam quod neceſſarium eſse,poſsibile eſſe.nam ſi non, negatio conſequetur:neceſſe enim eſt aut affirmare aut negare.quare ſi non poſsibile eſſe, impoſsibile eſſe.igitur impoſsibile eſſe,quod neceſſe eſse:quod eſt inconueniens.At uerò,illam quæ eſt, poſsibile eſse,non impoſsibile eſſe, ſequitur: hanc uerò, ea quæ eſt, non neceſſarium eſse. Quare contingit quod neceſsarium eſse,non neceſsarium eſse: quod eſt inconueniens. At uerò neq; neceſsarium eſse,ſequitur eam quæ eſt, poſsibile eſse, neque ea quæ eſt,neceſsarium non eſse.illi enim utraq; contingit accidere.harum autem utralibet uera fuerit,non erunt il.

la uera: simul enim possibile esse, & non esse. si uerò necesse esse uel non esse, non erit utrunq; possibile. relinquitur ergo non necessarium non esse, sequi eam quæ est, possibile esse. hæc enim uera est & de necesse esse. hæc enim fit contradictio eius, quæ sequitur illam, quæ est, non possibile esse. illam enim sequitur ea quæ est, impossibile esse, & necesse non esse, huius negatio est, non necesse non esse. Sequuntur igitur & hæ contradictiones secundum prædictum modum: & nihil impossibile contingit sic positis. Dubitabit autem aliquis, si illam quæ est, necessarium esse, ea quæ est, possibile esse sequitur. Nam si non sequitur, contradictio sequitur quæ est, non possibile esse. & si quis, hanc non esse dicat contradictionem, necesse est dicere possibile non esse: quæ utraq; falsa sunt de necesse esse. At uero rursus idem uidetur esse possibile incidi & non incidi, & esse & non esse: quare erit necesse esse, contingens non esse. hoc autem falsum est. Manifestum est autem, quòd non omne possibile uel esse, uel ambulare, etiam opposita potest: sed est in quibus non sit uerum. primùm quidem in ijs quæ non secundum rationem possunt. ut ignis calefactiuus est, & habet uim irrationalem. Quæ igitur secundum rationem potestates sunt, eædem plurium etiam contrariorum sunt. irrationales uerò non omnes: sed (quemadmodum dictum est) ignem non est possibile calefacere, & non: neq; quæcunq; alia semper semper agunt. alia uerò possunt & secundum irrationales potestates simul opposita suscipere. Sed hoc huius gratia dictum est: quoniam non omnis potestas oppositorum susceptiua est, neq; quæcunq; secundum eandem speciem dicuntur. Quædam uero potestates æquiuocæ sunt. possibile enim non simpliciter dicitur. sed hoc quidem, quoniam uerum est quod in actu est: ut possibile ambulare, quoniam ambulat iam, & omnino possibile esse, quoniam iam est in actu quod dicitur esse possibile. illud uerò, quoniam actu esse posset: ut possibile ambulare, quoniã ambulare posset.

& hæc

& hæc quidem in solis mobilibus est potestas, illa uerò & in immobilibus. utrunq; uerò uerum est dicere, posse ambulare uel esse, & quod ambulat & actu est, & ambulatiuum. sic igitur possibile non est uerum de necessario simpliciter dicere, alterum autem uerum est. Quare, quoniam partem uniuersale sequitur, illud quod ex necessitate, consequetur posse esse: sed non omne. Et est quidem fortasse principium quod necessarium est, et quod non necessarium est, omnium uel esse, uel nō esse. & alia, ueluti horum consequentia, considerare oporet. Manifestum est autem ex ijs quæ dicta sunt, quòd id quod ex necessitate est, secundum actum est. quare si priora sunt sempiterna, & quæ actu sunt potestate priora sunt. Et hæc quidem sine potestate actus sunt, ut primæ substantiæ. alia uerò cum potestate, quæ natura quidem priora sunt, tempore uerò posteriora. alia autem nunquam actus sunt, sed potestates solum.

METHODVS

METHODVS.

hac igitur methodo de habitudine & conſequentia propoſitionum modalium quam doctiſſimè agit.

ibi (conſequentia uerò ſecundum rationem)
Primò ponit ordinem & conſequentiam modalium iuxta ueterum opinionem, qui quidem (ut aiunt Græci) fuerunt Stoici: hic uerò eſt ordo


Ordo. I. *Antecedens.* *Poſſibile eſſe.* *Contingens eſſe.* *Conſequentes* *Non impoſſibile eſſe.* *Non neceſſarium eſſe.*	*Ordo. III.* *Antecedentes.* *Non poſſibile eſſe.* *Non contingens eſſe.* *Conſequentes.* *Impoſſibile eſſe.* *Neceſſarium non eſſe.*
Ordo. II. *Antecedentes.* *Poſſibile non eſſe.* *Contingens non eſſe.* *Conſequentes.* *Non impoſſibile non eſſe.* *Non neceſſarium non eſſe.*	*Ordo. IIII.* *Antecedentes.* *Non poſſibile non eſſe.* *Non contingens non eſſe.* *Conſequentes.* *Impoſſibile non eſſe.* *Neceſſarium non eſſe.*

ibi (Hæ igitur impoſſibile)
Primò, quo ad poſſibile, contingens, & impoſſibile: ideo dicit, eſſe quidem æquipollentes, Impoſſibile eſſe, non contingens eſſe, & non poſſibile eſſe. Præterea æquiualere, Non impoſſibile eſſe, contingens eſſe, & poſſibile eſſe. At in illis contradictionem minimè inueniri poſſe, niſi ordines conuertantur, ut in figura dilucidè apparet.

Ordo. I. erat. IIII. *Antecedentes.* *Non poſſibile non eſſe.* *Non contingens non eſſe.* *Conſequentes.* *Impoſſibile non eſſe.*	*Ordo. III. erat. II.* *Antecedentes.* *Poſſibile non eſſe.* *Contingens non eſſe.* *Conſequentes.* *Non impoſſibile non eſſe.*
Ordo. II. erat. III. *Antecedentes.* *Non poſſibile eſſe* *Non contingens eſſe.* *Conſequentes.* *Impoſſibile eſſe.*	*Ordo. IIII. erat. I.* *Antecedentes.* *Poſſibile eſſe.* *Contingens eſſe.* *Conſequentes.* *Non impoſſibile eſſe.*

Secundò prædictã opinionẽ accuratè examinat, &

ibi (neceſſe uerò quẽadmodũ)
Secundò, quo ad neceſſariũ, & ait, illo manente ordine permutato, alias propoſitiones rectè ſe habere, quo ad cõtrarias, & contradictorias: in illis uerò de neceſſario, cõtrarias perbellè collocari, cõtradictorias uerò nõ, ſed eſſe ſimul ueras, ut in hac figura patet.



ibi (Cauſa autem autem huius)
Quæritur, cur ſeparatim ordo neceſſarij mutatur.
Reſpondet Ariſtoteles, alioquin eas non æquipollere illis de impoſſibili. Si debent enim æquiualere, dictum ut contrariò proferatur neceſſe eſt: Nam non æquipollent, neceſſarium eſſe, & impoſſibile eſſe, ſed potius impoſſibile non eſt: quapropter oportet rurſus conuertere.

Tertiò probat in quarto ordine ponendum eſſe, Non neceſſarium non eſſe: Nam ad poſſibile eſſe, neceſſariò ſequitur aliqua de neceſſario; Vel ergo erit

ibi (An certè impoſſibile eſt)
Non neceſſarium eſſe. Sed hoc dici non poteſt, nam ſi ad neceſſarium eſſe, ſequitur, poſſibile eſſe (nã ſi non ſequitur, ergo ſua contradictoria.i. impoſſibile eſſe, quod falſum eſt. idẽ enim eſſent, impoſſibile eſſe, & neceſſarium eſſe) ergo ad poſſibile eſſe, ſequi non poteſt, non neceſſarium eſſe. idem enim eſſent, neceſſarium eſſe, & non neceſſarium eſſe.

Necessarium esse. | *Necessariū nō esse.*

Hoc autem dici nequit: nā possibile esse se habet indifferenter, ad possibile esse, et possibile non esse: sed ista non stant simul, nec cū necessariū esse nec cū necessarium non esse. Ad possibile igitur esse non sequitur, nec necessarium esse, nec non esse.

ibi (Relinquitur ergo)

Non necessarium non esse: Erit ergo ista, ad quam pro subalterna sequitur, Necessarium esse, quæ uidem subalternatur ipsi, possibile esse: iccirco ad illam pro contradictoria sequitur illa, quæ sequitur ad, Impossibile esse, Necessariū nō esse. ut infra declarabitur.

ibi (Dubitabit autem aliquis.)

Primò arguit affirmatiuè: Nam si non sequitur, necessarium esse, ergo possibile esse, sua contradictoria sequetur, nempe non possibile esse: Sed necessarium esse, & non possibile esse, non stant simul, ergo &c. At si dicas, sequeretur ad necessarium esse, possibile non esse. Respondet nihilominus idem euenire absurdum.

ibi (At uerò)

Secundò negatiuè: Quoniam possibile esse, se habet indifferenter ad possibile esse, & possibile non esse: sed possibile non esse, non stat cum necessarium esse: nec ergo possibile esse.

Tertiò dubium excludit, utrum ad illam de possibili sequatur illa de necessario. Ideo

Tertio duas ut respondeat præmittis diuisiones, &

- *ibi (Manifestū est) Prima est, potentia uel est in*
  - *Rationalibus, & hæc indifferenter se habet ad opposita. sicut uelle & nō uelle.*
  - *Irrationabilibus & est uel*
    - *Actiua, quæ se habet ad esse tātū: ut ignē posse calefacere*
    - *Passiua, quæ indifferenter se habet ad opposita: ut aquam posse & non posse calefieri.*
- *ibi (quadā uerò) Secūda est possibile dici æquiuocè. est enim, uel*
  - *In actu: ut possibile est aliquem ambulare, dū ambulat; quod quidem reperitur, tam in mobilibus. i. caducis, quam in immobilibus. i. æternis.*
  - *Ante actu: ut possibile est aliquem ambulare, quamdiu non ambulat, hocq; in rebus tantum mobilibus i. generabilibus & corruptibilibus cernitur.*

Ex his patet solutio: nā ad necessarium esse;

- *Sequitur*
  - *Possibile, quod non ualet ad opposita.*
  - *Possibile, quod est in actu.*
- *Nō sequitur*
  - *Possibile, quod ualet ad opposita.*
  - *Possibile ante actu.*

ibi (ut est quidē.) Quartò ex dictis nouū modaliū propositionū ordinē tradit, hac seriē: nam

- *Primò illas de necessario primum sibi locum in ordine uendicare, sic probat. Quandoquidem sempiterna & quæ semper actu sunt cætera præcedunt: Necessaria uerò sempiterna sunt; ut præcedant igitur oportet.*
- *Secūdò statuit primo loco poni illas de necessario, secundo de possibili et cōtingēti, tertio uerò de ĩpossibili. Nā Ars imitatur naturā sed nāliter ea quæ sunt Ergo sic collocari debēt, ut ĩ figura patebit.*

Ordo modalium ex sententia Aristotelis.

Sēper actu primo loco ponūtur: ut substantia diuina. Simul actu et potentia uerò ĩ secūdo; ut generabilia & corruptibilia. Sēper ĩ potētia tertio loco: ut motus et tempus &c.

Ordo. I.	*Ordo. II.*
Necesse esse.	*Nō necessarium esse.*
Non possibile non esse.	*Possibile non esse.*
Non contingens non esse.	*Contingens non esse.*
Impossibile non esse.	*Non impossibile nō esse.*
Ordo. III.	*Ordo. IIII.*
Necessarium non esse.	*Nō necessariū nō esse.*
Non possibile esse.	*Possibile esse.*
Non contingens esse.	*Contingens esse.*
Impossibile esse.	*Non impossibile esse.*

ANNOTATIONES.

CONSEQVENTIAE uerò secundum rationem fiunt, cum ita ponuntur. &c. Quia hunc locum diligentissimè perpendendum existimaui; illud in primis annotandum duxi, propositiones modales, ex ueterum Philosophorum sententia, hac serie collocari, nempe quod antecedentes primi ordinis, modum & dictum affirment, quæ uerò secundi modum affirment, quæ dictum autem negent, quæ tertij, modum inficientur, dictum approbando; illæ denique quæ quarti, modum ac dictum negent. Et rursus, antecedentes primi ordinis simplices sint affirmationes, quæ secundi transpositæ affirmationes, tertij simplices negationes, quarti uerò tandem transpositæ negationes, ut in nostra methodo apparet. Animaduertendum autem, materiam propositionum modalium ante Aristotelis ætatem ab alijs pertracatam fuisse, sicut & decem illa prædicamenta ante Aristotelem Archyta Tarentinus doctissimè explicauit. Quapropter hæc Logicæ facultatis pars, in qua & liber Prædicabilium, & liber Prædicamentorum, & liber de Interpretatione cõtinentur, Ars uetus uocari solet, ut à ceteris, in quibus de syllogismo agitur, seiungatur, quæ pars (teste Aristotele) à nemine ante ipsum dilucidata fuit, ideo ait: *De syllogismis autem omnino nihil habuimus prius aliquid quicquam* &c.

In calce secundi Elenchorum.

Sed conuersim. Animaduerte, ex Aristotelis doctrina, ordines modalium (secundum priscos) collocatos, si in illis ueras contradictiones uenari cupis, ipsos ut conuertas oportet, adeò ut summæ propositiones imæ fiant, & dextræ sint sinistræ, atq; ob id (quicquid alij senserint) hanc particulam; *Sed conuersim,* protulit Aristoteles.

Sed contraria sequuntur, contradictoria uerò sunt extra. Vt horum uerborum sententiam teneamus, hoc animaduertere necesse est, Aristotelem, antiquorum more, per contrarias modales, illas quæ in angulis sibi inuicem opponuntur, significare: ut in proposito sunt, necessarium esse, non necessariũ esse, & necessarium non esse, non necessarium non esse. Per contradictorias uerò, illas quæ recto tramite se se respiciunt: ut necessarium esse, non necessarium non esse, & necessarium non esse, non necessarium esse, quod in methodo facilè est cernere. quocirca contrarias quidem sequi, contradictorias uerò nequaquam dicit, cùm contraria inuicem opponantur (licet contradictoriè, ut demonstrabitur) contradictoriæ uerò minime. possunt enim ambæ esse ueræ, quod quidem si rectè animaduertas pro comperto erit.

An certe impossibile est sic ponere etc. Hae in parte Aristoteles necessarijs propositionibus non rectè ab antiquis locum assignatum fuisse ostẽdit. siquidem in illis (ut dictum est) uerã contradictionem non inueniamus; neq; sanè suis antecedentibus æquiualeant. Quaprópter transpositam negationem .i. non necessariũ non esse, sub tertio ordine positam, sub quarto collocandam esse probat. & propterea simplicem negationem .i. non necessarium

esse

esse in quarto ordine positam, ad tertium esse transferendam; & tunc recta serie continebuntur, tum quo ad æquipollentias, tum etiam quo ad oppositiones. Quia uerò in interpretatione illius particulæ, *Sed conuersim*, quo ordine & contrariæ, & contradictoriæ se habeant explanaui: operæ pretium quidem me facturum existimo, si de æquipollentiis aliquid hic breuiter attigerim. Animaduerte igitur ad inueniendam contingentem æquipollentem posibili, nullam inter ipsas, nec quò ad dictum, nec quo ad modum, oppositionem cerni debere.

Sunt enim æquipollentes, posibile esse, & contingens esse, & sic de singulis. Ad inueniendum autem imposibilem æquiualentem posibili idē dictum, modum uerò oppositum in ipsis reperiri opus est: unde istæ se mutuò consequuntur, posibile esse, & non impossibile esse, reliquæ autem huiusmodi se se habent. Sin uerò inuenienda sit necessaria contingenti & posibili æquipollens, hanc legem seruare necesse est, ut in ipsis contradictionem tum modi tum dicti perspicias. Quare hæ æquiuolentes uocabuntur, possibile esse, contingens esse, & nō necessarium non esse, & sic de reliquis. Postremò tandem si inuenienda sit necessaria æquipollens impossibili, hoc obseruandum, quod ex parte modi sint similes, ex parte uerò dicti aduersentur: idcirco istæ se consequentur; imposibile esse, necessarium non esse, & hoc sanè quidem de reliquis animaduertendum erit. Sed de æquipollentiis hactenus.

Quæ igitur secundum rationem potestates sunt &c. Falsum id esse uidetur, quod a Philosopho hic dicitur, nempe rationales potestates easdem esse oppositorum; siquidem alterutrum fateri necesse sit, DEVM optimum maximū, & reliquas diuinas mentes rationis esse expertes, cuius oppositū docuit Porphyrius, ubi dixit: *Rationales sumus & nos & dij, sed mortale appositum diuisit nos ab illis*, uel huiusmodi mentes indifferenter se habere ad opposita, quod quidem absurdum esse uidetur, cùm ipsæ præfinitæ sint, semperq; eodem modo se habeant, ab omni mutatione immunes existentes. Hanc obiectionem Alexander (referente Ammonio) diluit, cum Aristotelem per potestates rationales, discursiuas significare affirmauit, quæ profectò ab imperfecto ad perfectum, & à præmissis ad conclusionem proficiscuntur; & hæ ad opposita indifferenter se habent. Intelligentiæ uerò non quatenus discurrunt, sed quatenus uno actu simplici uniuersa apprehendunt & cognoscūt rationales appellantur. Sed de his satis.

Hæc quidem sane potestate actus sunt. &c. Nota ex Ammonio multum interesse, inter hoc quod est dicere, actum, & actu, uel in actu. primum enim tantum ad substantias abstractas spectat: alterum uerò his conuenit, quæ non per se subsistunt, sed alterius causa, sunt tamen realiter in rerum natura, ut infinitum actu in continuo reperiri fertur: tertium autem de his dicitur, quæ per se existunt, qualia sunt, quæ ex materia & forma sunt cōposita.

L TEXTVS

TEXTVS.

VTRVM autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi, & oratio orationi, quæ dicit, quod omnis homo iustus est, ei quæ est nullus homo iustus est: aut omnis homo iustus est ei quæ est, omnis homo iniustus est: ut, est Callias iustus, non est Callias iustus, Callias iniustus est, utra harum contraria est? Nam si ea quæ sunt in uoce, sequuntur ea quæ sunt in intellectu, illic autem contraria est opinio contrarij, ut quod omnis homo iustus est, ei quæ est, omnis homo iniustus est, etiam in ijs quæ sunt in uoce affirmationibus, necesse est similiter se habere. quòd si nec illic contrarij opinio contraria est, nec affirmatio affirmationi erit contraria: sed ea quæ dicta est negatio. quare considerandum est quæ opinio falsa opinioni ueræ contraria est, utrum negationis, an ea quæ contrarium esse opinatur. Dico autem hoc modo. est quedã opinio uera boni, quod bonum est: alia autem quod non bonum, est falsa: alia uero, quod malum: utra harum contraria ueræ? & si est una, secundum quam nam contraria. Nam arbitrari contrarias opiniones definiri, eo quod contrariorum sunt falsum est. Bonum enim quod bonum est, & mali quod malum est, eadem fortasse opinio est etiam uera siue plures, siue una sit. Sunt autem ista contraria, sed non eo quod contrariorum sint, contraria sunt, sed magis eo quod contraria. Si ergo est boni quidem quod est bonum opinio, alia autem quod non bonum est; est autem aliquid aliud quod non est, neque esse potest: aliarum quidem nulla ponenda est, neq; quæcunq; esse quod non est opinantur: neque quæcunq; non esse quod est infinitæ enim utræque sunt, & quæ esse opinantur quod non est: & quæ non esse quod est. Sed in quibuscunq; fallacia est. hæ autem sunt ex his, ex quibus sunt generationes, ex oppositis uero generationes, quare etiam fallaciæ. Si ergo quod bonum est, & bonum & non

malum est: & hoc quidem secundum se, illud uerò secundum accidens, (accidit enim ei non malum esse) magis autem in unoquoq; uera est quæ secundum se est etiam falsa, siquidem & uera: ergo ea quæ est, quod non est bonum quod bonum est, eius quæ secundum se est, falsa est: illa uerò quæ est, quod malum est, eius quæ secundum accidens. quare magis erit falsa de bono, ea quæ est negationis opinio, quàm ea quæ est contrarij. Falsus est autem maxime circa singula, qui contrariam habet opinionem: contraria enim sunt eorum quæ plurimum circa idem differunt. Si igitur harum contraria est altera: magis uerò negationis est contraria: manifestum est quòd hæc erit contraria. Illa uerò quæ est, quod malum est quod bonum est, implicita est. etenim quod non bonum est, necesse est fortè ipsum eundem opinari. Amplius, si etiam in alijs similiter oportet se habere, & hoc modo uidebitur bene esse dictum. Aut enim ubiq; ea quæ est contradictionis, aut nusquam. quibus uerò non sunt contraria, de illis quidem falsa, quæ est uerè opposita: ut qui hominem non putat esse hominem, falsus est: si igitur hæ contrariæ sunt, etiam et aliæ, quæ sunt contradictionis. Amplius, similiter se habet opinio boni quod bonum est, & non boni quod non bonum est, & præter has boni quod non bonum est, & non boni quod bonum est. Illi ergo quæ est, non boni quod non bonum uera opinioni, quæ est contraria? Non enim ea quæ dicit, quod malum est, si aliquando fuerit uera, nunquam autem uera uera contraria est: est enim quoddam non bonum malum. quare contingit simul esse ueras. At uerò nec illa quæ est quod non malum: uera enim & hæc: simul enim & hæc erunt. Relinquitur igitur ei quæ est non boni, quod non bonum est, contraria ea quæ est non boni, quod bonum est. falsa enim hæc. quare & ea quæ est boni quòd non bonum est, ei quæ est boni quòd bonum est. Manifestum ergo est, quod nihil interest, nec si uniuersaliter ponamus

 mus

mus affirmationem, uniuersalis enim negatio contraria erit. ut opinioni quæ opinatur, quod omne quod est bonum, bonum est, ea quæ est, quod nihil eorum quæ bona sunt, bonum est, nã ea quæ est boni, quod bonum si uniuersaliter sit bonum, eadem est ei, quæ opinatur, quod quicquid bonum est, quod bonum est. hoc autem nihil differt ab eo quod est, quod omne quod est bonum, bonum est. similiter autem & in non bono. Quare si in opinione sic se habet: & sunt hæ quæ sunt in uoce affirmationes & negationes, notæ earum quæ sunt in anima: manifestum est quod affirmationi contraria quidem negatio est, quæ de eodem uniuersaliter: ut ei quæ est, quod omne bonũ, bonum est, uel quod omnis homo bonus, ea quæ est, quod nullũ, uel nullus: contradictorie autem quæ est quod non omne, aut non omnis. Manifestum est autem, quod & ueram ueræ non contingit esse contrariam, neq; opinionem, neq; contradictionem. contrariæ enim quæ circa opposita sunt: circa eadem autem contingit uerum dicere eũdem: simul autem non contingit idem inesse contraria.

METHODVS.

...riaque ...se præ... ...t.

...um iam satis eluceat propositiones siue penes enunciandi modos, siue penes contraria prædicata opponi, nunc uerò iure quærit, quænam ipsarum maior sit oppositio.

- *Primò quærit, utrum propositiones magis opponantur, uel penes*
  - *Enunciandi modos: ut*
    - *Omnis homo est iustus. & Callias est iustus.*
    - *Nullus homo est iustus. & Callias non est iustus.*
  - *Contraria prædicata: ut*
    - *Omnis homo est iustus. & Callias est iustus.*
    - *Omnis homo est iniustus. & Callias est iniustus.*
- *Secundò aliam mouet quæstionẽ ex cuius solutione patebit quid ad primam sit dicendum. quapropter*
  - *Primò quærit Vtrum opinio, cõtraria sit uel*
    - *De contrarijs prædicatis.*
    - *De contrario cogitãdi modo*

ibi (Nam si ea quæ) Et hæc quæstio digna est ut agitetur: nam ut opiniones sunt in anima, ita enunciationes sunt in uoce. Quare, Vtrũ huic opinioni: uirtus est bonũ, aduersetur magis, uel uirtus non est bonũ, uel uirtus ẽ malũ, quærẽdũ est.

ibi (nam arbitrari) Sed dices, illas fortasse magis aduersari, quæ contraria & prædicata, & subiecta tenent. Respondet id falsum esse, possunt enim esse ambæ uera: ut Liberalitas est bonum, & Auaritia est malum.

ibi

ibi (Si ergo est boni quidem)

Primò: Huic opinioni, Virtus est bonum, uel aduersatur magis, uirtus non est bonum, uel uirtus est malum, Non ultimum: quoniam dicere uirtutem esse malũ, est dicere ei inesse quæ non insunt: ut odium, turpe &c. & ei non inesse quæ insunt: ut honestum, appetibile &c Quæ cum infinita esse possunt: infinita ergo uni erunt contraria, cuius contrarium in superioribus probauimus. Quare &c.

ibi (Sed in quibuscunque)

Secundò: In quibus est maxima fallacia & oppositio, illa opponuntur magis: In opinionibus autem contrariò modo cogitationis est maxima fallacia & contradictio. ergo &c. Nam maxima fallacia est in quibus sunt generationes, sed hæ sunt inter esse & non esse, quæ sunt de contrario modo cogitandi. ergo &c.

ibi (Si ergo quod bonum)

Tertiò.

Sicut in istis, Virtus est bonum, & uirtus non est mala; prima est uera per se, secundum uerò per accidens, accidit enim uirtuti esse non malum. Ita & huic, Virtus est bonum, tanquam falsa opponerentur, Virtus non est bonum, & uirtus est malum; sed prima per se, & secunda per accidens.

ibi (Falsus est autem)

Quartò: illa maximè opponuntur quæ magis inter se distant; sed magis distant affirmatio & negatio, quàm affirmatio & affirmatio. ergo.

ibi (Illa uerò quæ est)

Secundo respondet illas magis esse cõtrarias quæ sunt de cõtrario modo cogitationis. Quod quidem probat.

Quintò: Simplici opinioni simplex opponitur negatio: Sed, uirtus est malum, nõ est simplex, &, uirtus non est bonum, est simplex. primum enim secundum includit, non autem è contra. Huic ergo, Virtus est bonum, uirtus non est bonum magis, quàm uirtus est malum opponitur.

ibi (Amplius etiam in illis)

Sextò: Contrarietas cum sit repugnantia formalis debet in omnibus terminis sumi: sed penes contrarietatem prædicatorum, contrarietas in omnibus sumi non potest. multa enim sunt quæ contrario carent: penes prædicata igitur esse nõ debet.

ibi (Amplius similiter se habet)

Septimò: Sicut se habent ista; bonum est bonum, non bonum est non bonum; ita & ista, bonum non est bonum, non bonum est bonum. Sicut enim primæ ueræ sunt, ita secundæ falsæ: Sed huic, non bonum est non bonum, opponitur ista, non bonum est bonum. non enim illi opponitur, nec non bonum est malum, nec non bonũ non est malum: nam possent esse ambæ ueræ, quod quidem contrarijs non euenit: Huic ergo bonum est bonum, opponetur ista bonum non est bonum.

ibi (Manifestum ergo)

Admonet ultimo loco, cum quæstio primaria fuit de uniuersalibus tum propositionibus, tum opinionibus; ipse tamen semper usus est indefinitis; quod perinde est ac si uniuersalibus usus esset. Sed de hoc fusius in annotationibus.

ibi (Quare si in opinione)

Tertiò ex secunda iam habita quæstione, primam soluit. Nam sicut res se habet in opinionibus, ita & in enunciationibus. Ea enim quæ sunt in uoce, sunt notæ eorum quæ sunt in animo: Sed in opinionibus negatio magis affirmationi opponitur, quàm affirmatio affirmationi: similiter ergo & in enunciationibus, quare erunt contraria, Omnis homo est iustus, nullus homo est iustus; contradictoriæ uero omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus, ut in superioribus dictum est. Postremum autem monet, ibi (Manifestum est autem) opinioni ueræ, neque contrariè, neque contradictoriè opponi, opinionẽ ueram, quãuis enim contraria sint circa idẽ opposita, non tamen simul eidem possunt inesse.

ANNOTATIONES

EX Ammonii sententia hæc huius operis est nouissima sectio, quam omnes ferè Aristotelis interpretes adulterinam nothãq; esse crediderunt.

Qua-

Quapropter ipse Ammonius in suis commentariis, non iniuria quidem, totis (ut aiunt) neruis Philosophi argumenta, ex magni Syriani sententia, labefactare initur: Cum absurdum id esse existimet, quod hic Aristoteles docet, nempe affirmationem magis aduersari negationi, quam affirmationem affirmationi, ut omnis homo est iustus, nullus homo est iustus, magis quidem quàm, omnis homo est iustus, omnis homo est iniustus: cùm alibi huius contrarium ipse Aristoteles tenuisse uideatur. Nos uerò quoniam in Præfatione huius operis satis superq; quæ nam oppositio siue contrarietas, & in scientia reali, & in logica facultate maior habetur ostendimus, his posthabitis ad annotationes pedem conferemus. Primùm uerò hoc te scire uelim Aristotelem petere, quæ nam propositiones magis inter se distēt, uel quæ in oppositis modis enunciandi, uel quæ in oppositis prædicatis uersantur: & hoc meritò quidem ipse perscrutatur, quoniam in superioribus enunciationem duobus prædictis modis docuit opponi.

Vtrum uerò contraria sit. Adde particulam, magis, nam litera comparatiuè capienda est.

Vt est Callias iustus. Hic locus dubitandi ansam attulit, cùm singularibus etiam exemplis utatur, quæ (ut supra dictum est) non contrariè sed contradictoriè opponuntur, & quæstio iam de contrarietate propositionum proposita sit. Hanc tamen obiectionem facilè soluere ualebimus, si Aristotelem eas tradidisse propositiones dicamus, quibus determinatio, quam infra allaturus est, accommodatur. & quia determinatio ac solutio omnibus propositionibus quæ nequeunt esse simul ueræ aptatur, quod quidem tū de uniuersalibus, tum de singularibus uerificatur, idcirco de singularibus etiam uerba fecit: & quoniam propositum erat de maiore ac minore oppositione sermonem habere, atq; ut hic & alibi ipse docet, contraria sunt quæ plurimum inter se distant, ideo contrarias illas potius uocare, quàm aliud oppositorū nomen imponere uoluit. Sed rursus ex dictis alia emergit quæstio, cur tantùm in hoc capite Aristoteles de propositionibus uniuersalibus & singularibus mentionem fecit, silentioq; tum particulares tum indefinitas prætermisit. Quam quidem sic diluere possumus, quòd hic tantùm de ijs agit propositionibus, quæ simul ueræ esse non possunt, quod profectò particularibus & indefinitis conuenire non potest, nam ueræ esse dicuntur, tum aliquis homo est albus & aliquis homo non est albus, tum homo est albus, & homo non est albus. At illico alia etiam se se offert dubitatio, si in rationibus allatis Aristoteles semper utitur propositionibus indefinitis; de indefinitis ergo etiam uerba fecit. Huic dubitationi, quia ipsemet Philosophus in calce huius capitis respondisse uidetur, nos non laborabimus ut solutionem inueniamus. Aliud præterea animaduertendum puto, hic Aristotelem non examinare, utrum maior sit oppositio, uel contraria, uel contradictoria, (ut nonnulli existimant) sed tantùm exquirere, quæ magis inter se opponantur oppositiones, uel quæ habent opposita prædicata, uel quæ sunt de contrario modo enunciandi. quod quidem repetenti diligenter

genter Aristotelis exempla statim in huius capitis fronte proposita facilè persuasum erit: cùm uniuersales propositiones propositæ ad contrarietatem spectent, singulares uerò ad contradictorias.

Si enim ea quæ sunt in uoce. In memoriam ea sunt reuocanda quæ Philosophus in huius operis exordio prodidit: Quamuis animaduertendum, non semper ea quæ uoce proferuntur ea sequi quæ in animo habentur, quod ipse testatur Aristoteles, de iis quæ disputationis tantùm causa proferuntur: quemadmodum patet de Heracliti opinione, qui omnia moueri asseruit. 1. Phy. tex. 9.

Contrariorum. i. illas fortasse magis aduersari inter se, quæ sunt de contratio subiecto.

Et hoc quidem secundum se, illud uerò secundum accidens. Hoc etiam memoriæ tenendum est, id quod bonum est esse bonum per se. i. ex sui natura & immediatè, non malum uerò per accidens, nempe intercedente bono, quatenus scilicet non malum in bono continetur.

Manifestum est ergo quod nihil interest. Hic quidem illud argumentum paulo supra collocatum diluit. Cùm enim quæstionem de propositionibus atque opinionibus uniuersalibus ac singularibus tetigisset, & in explanandis rationibus nullam postea unquam propositionem, siue uniuersalem, siue singularem, sed semper indefinitam attulisset, monet hic quod ea de causa subiecto semper apponebatur articulus, ut significaretur propositiones capi uniuersaliter, quoniam articulus in proposito uim habet signi uniuersalis; siquidem perinde est dicere τὸ ἀγαθὸν est bonum, ac si diceretur, quidquid est bonum bonum esse, quod quidem nihil aliud indicat, quàm omne bonum esse bonum. Sed de his satis, nam qui plura desiderat Ammonii commentarios legat. Nos enim præsentem contemplationem ad exitum iam optatum perducendam putamus; quæ quanquam in breuem quasi formulam comprehensa uideri potest, quisquis tamen acri studio attentaq; cogitatione, nostras in hunc librum tum methodos, tum annotationes expendet atq; æstimabit, tandem percipiet nihil eorum prætermissum esse, quæ ad perfectam ipsius cognitionem conducant. Præstabilia quæque uideor persequutus, minutioribus iis duntaxat neglectis, quæ nullo studio in cuiusq; uel mediocriter eruditi captum ac mentem uenire possunt.

F I N I S.

GEORGIVS FABERIVS SVBRIVOLENSIS IN ALFONSI BAROCCII DIALECTICAS ANNOTATIONES.

O Diua praestans, diua reconditos
Quae mẽtis aestus te insinuãs probè
Depromis, & rerum latentes
Detegis ingeniosa causas.
Tu callide & subtiliter inuenis;
Tu inuenta quaeris qualia permanent,
Tandem laborata nitescens
Arte locas, ferieq; inulta.
Iam quisq; tutus Socratica domus
Ascendet altam, te duce, uerticem,
Veriq́ue, Naturaeq; custos
Astriferos penetrabit orbes.
docta surgas nunc licet, ac tua
Vires sororis sumpta Baroccium
Feras per astrorum celebri
Murmure continuos meatus.
Qui quicquid agris abditur Atticis,
Pictosq; densis floribus angulos
Rimans latinos, flexuosas
Impauidus superauit Alpes,
Incedet & quis tutus, in ultimos
Tendat Gelonos, nantaq; Bosphorum
Vtrumque, seu Syrtes tremendas,
Seu Scythicos capiat recessus,
Nam dum conamur, lingua silentio
Tabescit ipso, & uiribus impares
Fiunt labores, voxq; siccis
Faucibus haeret amica nostris,

Theophili Lusitani Epigramma in easdem.

En filum, enq; hastam, uibranti cuspide miles,
Inq; loco pennas, Daedalus ipse dabit.
Illud fracta ambage, reget uestigia caeca,
Haec prosternet tuto horrida monstra tibi.
Heu? cessas? lustra tectum. prolemq; biformẽ,
Nec est cur timeas, non superare dolos.

F I N I S.